AUTHOR:

ROHDE, FRIEDRICH WILHELM

TITLE:

DE INTERIECTIONUM USU APUD AETATIS...

PLACE:

REGIMONTI

DATE:

1911

Master Negative #

93-81292-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

877.5
Z8
v.1

Rohde, Friedrich. De interiectionum usu apud aetatis argenteae scriptores latinos. Regimonti 1911: Hartung 95 S., 1 Tab. 8°

Königsberg, Phil. Diss. v. 2. Aug. 1911, Ref. Roßbach

[Geb. 17. Sept. 88 Krojanke; Wohnort: Königsberg i. P.; Staatsangeh.: Preußen; Vorbildung: Städt. Gymn. Danzig Reife O. 07; Studium: Berlin 4, Königsberg 4 S.; Rig. 30. Mai 11.] [U 11. 2765

Volume of theses.

24543

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4/15/93 INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE INTERIECTIONUM USU APUD AETATIS ARGENTEAE SCRIPTORES LATINOS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS ROHDE
KROIANCENSIS

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA
1911

Gedruckt mit Genehmigung
der Philosophischen Fakultät der Kgl. Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Prof. Dr. O. Rossbach.

OTTONI ROSSBACH

sacrum

Quod mihi proposui ut usum interiectionum apud scriptores latinos aetatis, quae dicitur, argenteae describerem, hanc operam non inutilem esse putavi. Nam hoc „infimo orationis genere" (ut Paulus Richterus in Studemundi studiis I, 2 interiectiones appellat) exquirendo non modo latinitas singulorum scriptorum et huius totius aetatis argenteae illustratur, sed etiam hanc commentationem symbolam utilem ad historiam interiectionum latinarum praebituram esse sperare audeo.

Paulus Richterus enim, qui iam duobus libellis[1]) de usu horum sonorum primitivorum apud poetas priscae et optimae latinitatis egit, me imprimis impulit, ut conspectum historicum, quem ille dare coepit, nonnullis observationibus de usu interiectionum apud scriptores posteriores supplerem. Equidem vestigia Richteri secutus sum, sed non modo — ut ille — usum poeticum, sed etiam prosaicum respexi, cum mihi multum interesse videatur cognoscere, quomodo poetae et scriptores in interiectionibus adhibendis inter se differant.

Comoedias priscas, quae dialogis sermonem vulgi cotidianum imitantur, plura et graviora suppeditare, ex quibus vis et notio primitiva interiectionum perspici possint, facile intellegitur. Ibi enim interiectiones affec-

1) 1. „De usu particularum exclamativarum apud priscos scriptores latinos" in Studemundi studiis I, 2. 2. „De usu particularum exclamativarum apud poetas Augusti aequales." Progr. Hagenau 1878.

tibus veris emissae ab hominibus vere sentiuntur, cum postea saepe nihil nisi particulae enervatae sint et pro formulis notione certa carentibus edantur. Sed tamen operae pretium esse existimo, sortem harum vocularum in litteris latinis longius persequi ut intellegatur, quomodo interiectiones vulgares, in oratione polita reservatae, huic orationi colorem quendam addant et genus dicendi concitatum reddant.

Priusquam autem speciatim ad cognitionem interiectionum apud scriptores aetatis argenteae accedimus, generatim nonnulla de notione grammaticali harum particularum dicamus.

Cum nemodum opera data de interiectionibus egerit, nulla definitio earum est, quae ab omnibus viris doctis comprobata sit. In libris grammaticis vulgatis persaepe etiam nihil nisi indicem interiectionum diversarum invenimus. Itaque — ut huic disquisitioni lucem afferamus, — definitiones, quas viri docti antiqui et grammatici recentiores nobis tradiderunt, componamus et summam harum faciamus.

Quamquam iam Graeci[1]) interiectiones ordinem separatum adverbiorum esse existimaverunt, tamen grammatici latini primi illas ut propriam orationis partem afferunt.[2])

Velut Priscianus — II, 90, 9 — dicit „Romanarum artium scriptores separatim hanc partem (sc. interiectiones) ab adverbiis accipere, quia videtur affectum habere in se verbi et plenam motus animi significationem, etiamsi non addatur verbum, (quod Graeci postula-

1) Apoll. Dyscolus de adv. pg. 537, 10 et pg. 531, 16 (v. Skrzeczka: „Die Lehre des Appollonios Dyskolos von den Redeteilen.“ Progr. Kneiphöf. Gymn. Königsberg 1853 pg. 4.)

2) cf. K. Reisig: Vorlesungen über latein. Sprachwissenschaft. I. Teil: Etymologie.

verant) demonstrare.“ cf. Romanum apud Charis. 190, 14 sq.; Donatum 391,29; Diomedem 419. 19—21.[1])

Quod ad notionis definitiones attinet, Remmius Palaemon (apud Charis. 238, 23) haec fere docet: „interiectiones sunt, quae nihil docibile habent, significant tamen adfectum animi, velut heu, eheu, hem, ehem, eho, hoe, pop, papae, at, attatae.“

Paulo accuratius Cominianus eodem loco (238, 19 sq.) de interiectione dicit: „interiecto est pars orationis significans adfectum animi. vario autem adfectu movetur. nam aut laetitiam animi significamus, ut aaha, aut dolorem, ut heu, aut admirationem, ut babae . . . Ex his colligi deinceps alii motus animorum possunt.“ Quae definitio — nam in Cominiani verbis (p. 238, 19 sq.) lacuna esse videtur[2]) — a Diomede (cf. pg. 419, 1 sq.) repletur his fere verbis: „interiectio est pars orationis affectum mentis significans voce incondita. interiectioni accidit significatio tantum, quae aliis partibus orationis interiaci et inseri solet.“ (ubi etymologia quoque vocis „interiectio“ explanatur.)

Denique C. Julius Romanus l. c.[3]) sic refert: „interiectio est pars orationis motum animi significans, laetantis . . ., dolentis . . ., admirantis . . ., quae quamvis *πάθους στάσιν* habeant nec *ἤθους*, invenimus tamen etiam apud eos, qui videntur ethici mediocriter pathos solere concire.“[4])

1) de hac re egit L. Jeep: „Zur Geschichte der Lehre von den Redeteilen bei den lat. Grammatikern.“ Leipzig 1893. pg. 293.

2) cf. J. Tolkiehn: Cominianus. Beiträge zur röm. Literaturgeschichte. Leipzig 1910. pag. 14.

3) cf. J. Tolkiehn: „über den Abschnitt de interiectione in den *Ἀφορμαὶ* des C. Julius Romanus.“ Berl. phil. Wochenschr. XXIV (1904) pg. 27 sq.

4) de testimoniis aliorum grammaticorum cf. L. Jeep l. c. pg. 292/3.

Praeter has definitiones grammaticorum antiquorum nonnullas recentiorum (Caesarem Scaligerum, qui in libro „de causis linguae latinae" X cap. 162, 163, 164 interiectiones tractans nihil novi profert, mitto) consideremus: Fridericus Handius — in Tursellino — interiectiones in magno particularum ordine ponit, quare vis et natura earum propria non satis illustratur. Plerique grammatici recentiores hoc genus interiectionum modo obiter tetigerunt. Inter paucos, qui de his voculis nonnulla verba faciunt, C. Reisigius l. c. de earum natura haec fere dicit: interiectiones voces sensus primitivae sunt et — in historia linguae cuiusque — elementum praebent. Maxima interiectionum copia demonstratur, nationem permultis sensibus praeditam esse; natio vero Romanorum inopia quadam earum laborat et plurimae interiectiones ad Romanos ex lingua graeca translatae sunt.

Fr. Haasius (Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft, ed. Fr. Aug. Eckstein. Leipzig 1874) I pg. 46 sq. notionem interiectionum paulo accuratius describit[1]) et demonstrat, quomodo animi affectibus — qui rebus naturae commoventur, ut has aut appetant aut propulsent aut imitentur — soni naturales vocis humanae i. e. interiectiones efficiantur. vol. II pg. 163 idem interiectiones sonos fortuitos, qui — sine consilio — solis affectibus exprimuntur, appellat.

Ceteri grammatici — ut iam supra dixi — nihil momenti de his voculis dicunt. Pauca exposuit R. Kühner (Ausführliche Grammatik der lateinischen Sprache. Hannover 1877/79) II, 1 pg. 203, 5; 204 adn. 6; 305 adn. 1. W. Lindsay (Die lat. Sprache. Leipzig 1897) pg. 707 modo commemorat, interiectiones, cum pleraeque voces

1) = „begrifflose Äusserung des Instinkts", „unorganisierter Ausbruch der Empfindung."

onomatopoeticae sint, legibus linguae subiectas non esse, et Neue-Wagener (Formenlehre der latein. Sprache ³. Leipzig 1892 vol. II.) pg. 981 sq. nihil nisi indicem singularum interiectionum, quem exemplis ex litteris latinis sumptis exornant, praebent.

Sed multo graviores et pleniores quam hae sententiae grammaticorum dispersae sunt definitiones psychologorum, qui arti grammaticae dediti sunt. Inter hos H. Steinthal[1]) hoc modo iudicat: Interiectiones nondum orationis partes, sed soni fortuiti (reflexivi) sunt. St. discernit alias, quae nondum formas articulatas habent et maxime dolores vel libidines corporis exprimunt, et alias, quae verba sunt et certiores affectus quam gaudium et luctum complectuntur.

Similiter H. Paul („Principien der Sprachgeschichte". ³. Halle 1898 cap. IX pg. 162 sq. („Urschöpfung") dicit, interiectiones — ex origine — sonos fortuitos esse, qui affectibus efficiantur, sed recte adicit, illas, quibus uti soleamus, non iam veros sonos naturales esse, litteris autem traditas eodem modo ac cetera linguae elementa consulto in oratione adhiberi (per „associationem" demum rursus in sonos reflexivos redeunt). Praeter hos sonos naturales — sic Paul pergit — etiam verba et sententiae, consuetudine mutata, interiectionum partibus fungi possunt, qua in re origo saepe tantopere oblitteratur et obscuratur, ut etymologia non facile dignosci possit (cf. jemine = Jesu domine).

W. Wundt[2]) primus interiectiones veras, quae sonos naturales adaequant, et in interiectionum usum receptas

1) „Abriss der Sprachwissenschaft. I. Teil: Die Sprache im allgemeinen. Einleitung in die Psychologie der Sprachwissenschaft." Berlin 1871. pag. 367. 368. 373. 393/4.

2) „Völkerpsychologie vol. I: Die Sprache." Leipzig 1900.

formas verborum, velut particulas, vocativos, imperativos, sententias mutilatas, acriter discernit.

Praeterea B. Delbrueck[1]) afferendus est, qui maxime Steinthalii vestigia sequitur, sed imperativos et vocativos, quos Wundt recipit, in interiectiones recipere non vult.

Denique C. Brugmannum (Kurze vergleichende Grammatik der indogerman. Sprachen. Strassburg 1904. § 366 pg. 292 sq.) commemoro, qui interiectiones in enuntiatis primitivis numerat et vocativos, imperativos (nulla certa persona cogitata), particulas, pronomina, quae affectu maxime efferuntur, „aequivalentia" interiectionum purarum esse dicit.

Ut ex his diversis sententiis virorum doctorum antiquorum et recentiorum ea, quae mihi vera esse videntur, complectar, notionem interiectionum sic fere definio: Interiectiones soni affectus sunt et distribuuntur in interiectiones puras vel sonos naturales (radices) et interiectiones adoptivas vel formas articulatas, quae ex lingua depromptae vim interiectionum acceperunt, i. e. quae non iam ut partes sententiarum percipiuntur, sed structura sententiarum grammatica absolutae ubique — ut illi soni naturales — orationem interrumpere possunt (cf. vocativos, imperativos).

Cum hac commentatione conspectus generalis de usu interiectionum latinarum, quoad fieri potest, dari debeat, mihi opus esse videtur usum priorum temporum, aetatis priscae et optimae, paucis verbis tangere.

1) „Grundfragen der Sprachforschung, mit Rücksicht auf die Wundtsche Sprachphilosophie erörtert." Strassburg 1901. pg. 75—77.

In libris, quibus de usu prisco agitur, primo loco illum P. Richteri — quem iam supra attuli (cf. pg. 1) — nomino. Richterus — quamquam solum usum poeticum et non omnes interiectiones, sed modo sonos naturales et particulas graecas in linguam latinam translatas tractavit — tamen primus (cf. eius verba l. c. pg. 389 de priorum libellis) demonstravit, quomodo usus harum vocularum grammaticus exquirendus sit. Memoratu digna sunt illa, quae R. de usu interiectionum latinarum in universum dicit: „Usus particularum exclamativarum vel interiectionum in priscis fabulis Romanis, velut Plautinis vel Terentianis, cum vivae et alacri poetarum comicorum orationi praecipue convenirent, latissime patuit. Sed a scriptoribus optimae aetatis artioribus finibus circumscriptus est." Homines antiqui enim — ut erant simplices et rudes — non verebantur affectiones et animi motus verbis exprimere; itaque comoedia prisca, quae sermonem vulgi imitatur, exclamationibus et interiectionibus abundat. Ut indicem, quanta copia interiectionum ibi sit, dico Richterum — etsi ille particulas affirmativas et formas verbales excludit — quinquaginta quinque interiectiones diversas tractasse.

Libellus Richteri suppletur commentariolo americano, quod inscribitur: F. W. Nicolson: „the use of hercle (mehercle) edepol (pol) eastor (mecastor) by Plautus and Terence." in vol. IV of Harvard Studies in Classical Philology. Boston 1893. N. usum harum interiectionum per indices et tabulas accuratissime describit. Praeterea cf. Neue-Wagener (Formenlehre) vol. II pg. 981 sq.

Quantopere usus interiectionum post aetatem priscam in litteris latinis minuatur, commentatione eiusdem Richteri altera (cf. pg. 1) docemur. Illarum quinquaginta quinque inter-

iectionum latinitatis priscae hic modo tredecim occurrunt (et nonnullae perraro). Homines eruditi temporum posteriorum, qui iam morositate quadam in dicendo et scribendo utebantur, horum sensus sonorum usum quam maxime reprimebant. Cum vulgus in sermone cotidiano[1]) omnibus temporibus (non modo prisca, sed etiam optima aetate) interiectiones permultas adhibuisse consentaneum sit, plurimi scriptores posteriores, qui legibus orationis morosis subiecti sunt, has voculas „vulgares“ magis magisque reicere coeperunt.

Inter scriptores solutae orationis maxime historici sibi ab usu interiectionum temperare student, cum oratores — ut animos audientium vel legentium capiant et teneant — libenter interiectionibus et formulis exclamationis orationem fusam interrumpant. Interiectiones ab his scriptoribus maxime usurpatae particulae affirmativae: „hercule, hercules, mehercule, mehercules, medius fidius“ sunt, quae apud poetas post aetatem priscam penitus fere evanescunt. Formae: „pol, edepol, ecastor, mecastor“ temporibus posterioribus plane evitantur.

Quomodo aetas prisca et aetas optima in interiectionibus adhibendis inter se differant, P. Richterus in programmate Hagenavensi his fere verbis describit: „Usus interiectionum, quibus tragica elegantior, comica alacrior fit oratio, apud Augusto aequales multo restrictior est. nam ab his poetis multae earum ita sunt adhibitae, ut nihil fere sint nisi imagines solum animi affectuum eorum, qui a priscis, maxime in colloquio cotidiano, vere sentiuntur et exprimuntur.“ Tum R. adicit poetas optimae aetatis studio eleganter scribendi ad alios affectus exprimendos (nam a cotidiano sermone diverso scribendi usu utuntur) coactos alias interiectiones adhibere, velut memoria vocularum „au, eheu, eho, em, euge, hahahae, papae, vah,“ aliarum apud recentiores omnino fere exstincta sit (cf. progr. Hag. pg. 28).

1) sermo cotidianus enim diu colorem vetustatis conservat (cf. Reisig: Vorlesungen § 43). de sermone cotidiano in universum cf. E. Wölfflin: Philol. XXXVI. pg 139 („Zum sermo cotidianus“). Gust. Landgraf: „Bemerkungen zum sermo cotidianus in den Briefen Ciceros und an Cicero.“ in Bl. f. bayr. Gymn. Wesen und Realschulwesen. fasc. 16, 6. München 1880.

Iam ad eam aetatem, quae in litteris latinis aetati optimae succedit et „argentea“ appellatur,[1]) progressi sumus, sed priusquam usum interiectionum hac aetate diligentius illustrem, nonnullos libros, in quibus natura et proprietates huius latinitatis in universum describuntur, enumero:

C. v. Morawski: „De sermone scriptorum latinorum aetatis, quae dicitur argentea, observationes.“ Leopoli 1895 (auctor imprimis de ratione rhetorica agit). Fr. Stolz: „Geschichte der lateinischen Sprache“ in „Laut- und Formenlehre“ [4] pg. 15. E. Norden: Antike Kunstprosa. I pg. 273 sq., pg. 277. E. Wölfflin: Archiv f. lat. Lexikographie und Grammatik. II pg. 356.

Indicem eorum scriptorum, quibus usus sum, invenies in tabula, quae huic commentationi addita est. Quod Plinium maiorem et nonnullos, qui de materiis quibusdam technicis scripserunt, ut Celsum, Frontinum, exclusi, neminem me vituperaturum esse puto, cum illos ad hanc quaestionem non multa offerre posse perspicuum sit (velut iam Pomponius Mela et Columella — quos inspexi — perpauca praebent).

Interiectiones singulae, quae aetate argentea inveniuntur, hae sunt:

1) quae secundum plurimos grammaticos ab excessu T. Livi usque ad p. Ch. n. annum centesimum vicesimum est.

I. Interiectiones purae (i. e. soni naturales).
   A. vocales:
      a) vocales et diphthongi purae: o, a, ei, eu, au;
      b) vocales aspiratae: heu;
      c) vocales, quae nasali n corroborantur: en.
   B. interiectiones, quae ex vocali et consonante compositae sunt:
      a) interiectiones monosyllabae: heus, vae, pax, vah, ne, pro;
      b) interiectiones bisyllabae (quae ex duobus sonis naturalibus compositae sunt): eheu, heia, euhoe, io, euge, ohe, papae.
II. voces articulatae (i. e. formae pronominales, nominales, verbales, quae in interiectionum usum receptae sunt).
   A. formae pronominales: ecce.
   B. formae nominales: hercule, hercules, mehercule, mehercules, medius fidius.
   C. formae verbales: age, agedum.

I. Interiectiones purae (i. e. soni naturales).

A. vocales.

a) vocales vel diphthongi purae:

1) o!

o! omnium interiectionum apud omnes scriptores longe usitatissimam esse nemo ignorat; neque enim ulla natio esse videtur, quin hunc simplicem sonum naturalem ad affectus animi varios exprimendos adhibeat. Grammatici antiqui, quorum testimonia P. Richterus (in Studemundi stud. I, 2 pg. 586) attulit, dissentiunt, utrum

haec vocula nomine interiectionis an adverbii appellanda sit. Velut Priscianus eam modo interiectionem, modo adverbium appellat (cf. II pg. 73, 14 et II pg. 89, 3 vel II pg. 12, 7: „et sine dubio igitur o! adverbium est vocandi et optandi, est etiam interiectio"). Haec differentia nominis apud priscos in diversa structura grammaticali, qua o utitur, posita esse mihi videtur; nos quidem non dubitamus, o interiectionem appellare. De notione, i. e. de affectibus variis, qui hac vocula exprimuntur, nihil habeo, quod addam ad ea, quae Handius — Tursell. IV pg. 350 — et Richterus — in Studemundi stud. I, 2 pg. 594 — explicaverunt.

Itaque ad usum interiectionis describendum transeo. o! apud scriptores latinos aut cum casibus (vocativis, accusativis) aut cum enuntiatis coniungitur. In prisca latinitate duae diversae interiectiones nobis occurrunt: oh et o. Atque altera „o" nota vocativi est, quae vim vocativi corroborat et affectus quosdam huic acclamationi addit, cum altera „oh" semper enuntiata praecedat. Quamquam lectiones locis satis multis inter oh et o variant, tamen cum Richtero, qui singulos locos comicorum diligenter excussit, dicere possumus (cf. illius verba l. c. pg. 606): „omnibus locis, ubi particula non pertinet ad vocativum vel accusativum exclamativum, sed vel absolute posita vel enuntiato praefixa est, pleniorem formam oh esse restituendam." Atque hoc oh — aspirationem enim ad librariorum libidinem referre non licet — antiquissimis temporibus aliter quam breviorem notam vocativi o pronuntiatum esse mihi verisimillimum est (fortasse = o-ch, cum gutturali attenuata; nam in priscis linguis italicis sonum gutturalem ch et notam aspirationis h non diverse scripta esse constat.[1]) Postea autem

---

1) de hac re cf. W. Corssen: „Über Aussprache, Vokalismus u. Betonung der lat. Sprache.[2] Leipzig 1868. I pg. 96.

oh pronuntiatu pleniore magis magisque neglecto cum simplici o coincidit, sed priscam scripturam oh diutius reservatam esse certis codicum Plauti et Terentii testimoniis confirmatur. Usum interiectionis „o“ apud poetas optimae aetatis increbescere nemo mirabitur, cum aliae voculae ut „heus, ehem, eho“, quae saepius apud priscos vocativis praeponi solebant, tunc penitus fere evanuerint et „o“ munere illarum fungatur (cf. Richter, progr. Hag. pg. 19). Sed quod ad usum grammaticum attinet, o et oh a posterioribus non iam distinguuntur, quin etiam ubique scriptura „o“ tantopere praeponderat, ut haec sola ab omnibus editoribus recta existimetur.

Priusquam autem speciatim usum interiectionis apud scriptores aetatis argenteae inspiciam, nonnulla verba de constructione frequentissima „o ante accusativos“ faciam.[1]) Accusativus „ellipticus“ a scriptoribus latinis omnibus temporibus usurpatur, ut significet admirationem, indignationem, alios affectus; sed non in omnibus orationis generibus invenitur, velut nusquam apud Caesarem, Nepotem, Varronem, rarissime apud T. Livium legitur. Eum saepissime in latinitate argentea (imprimis a Valerio Maximo, Tacito) adhiberi infra videbimus. Ut affectus in exclamatione valentes melius exprimantur, hic accusativus libenter cum interiectionibus (maxime cum o) coniungitur. Apud scriptores aetatis optimae o ante accusativos rerum nunquam omittitur, cum ante accusativos personarum saepe excidat. Velut Cicero ante accusativos rerum — nonnullis locis dubiis epist. ad Att. exceptis — semper o in exclamatione posuit, cum ante accusativos personarum interdum omissum sit.[1]) A scriptoribus posterioribus hic usus non iam accurate observatur, velut Seneca hanc regulam non semper secutus est: cf. de cons. ad. Pol. 3, 5: „facinus indignum!“ ep. XVI, 97, 4: „rem perditam!“ Praeterea cf, Plin. ep. IV, 21, 1: „Tristem et acerbum casum Helvidiarum sororum!“ — Schmalzius (l. c. pg. 359) hunc accusativum ad aliquod verbum — quod facile suppleri potest vel in interiectionem (cf. „em“ ex „eme“) transmutatum est — referendum esse putat. — Iam ingrediar structuram grammaticalem apud scriptores aetatis argenteae illustrare:

Idem de pronuntiatu et scriptura litterae h, cuius ratio cum temporibus et locis mutatur, l. c. pg. 96—113, imprimis pg. 112 egit.

1) cf. Neue-Wagener[3] II pg. 981. C. F. W. Müller: Syntax des Ackusativ. pg. 159 sq. („ellipt. Ackusativ“) J. H. Schmalz: Syntax und Stilistik.[4] (Hdb. II, 2) pg. 359 sq.

A.) o (in compellatione gravissima) praecedit vocativos:

a) nominum propriorum:

Sen. phil. ep. VI, 55, 4: „o Vatia, solus scis vivere!“ Sen. ep. VIII—XIII, 73, 10: „o Meliboee.“ Plin. min. ep. VI, 2, 7: o Regule; Lucan. I, 195: O magnae qui moenia prospicis urbis . . . Tonans; I, 681: Quis furor hic, o Phoebe, doce; I, 678: Quo feror, o Paean; X, 85: o maxime Caesar. Stat. silv. II, 7, 89: o saevae nimium gravesque Parcae! Theb. V, 608: o . . . dulcis imago, / Archemore; Theb. VII, 355: o mitissime Lai; Theb. VII, 363: o mihi . . . decus ac . . . voluptas / Antigone; Theb. IV, 34: tuque o nemoris regina sonori / Calliope; Val. Flacc. VII, 217: o tandem, vix tandem reddita Circe; VIII, 181: o Tiphy; I, 721: o freti nequiquam prole Penates! Sil. Ital. IV, 729: o felix famae et Latio lacrimabile nomen / Hannibal; V, 420: o Musae; X, 53: o Paule; XI, 101: o confuse nimis Gradivi turbine Varro; XVI, 248: o sceptri venerande Syphax; XVII, 543: o Scipio; Calp. Sic. II, 96: o Doryla; IV, 6: o Meliboee; VI, 17: o Lycida; VII, 4: o

1) cf. locos a Mergueto in lexico collectos: II, 782 et 3, 407.

piger, o duro non mollior axe, Lycota; VII, 73: o felix Corydon; S e n. Phaedr. 85: O magua vasti Creta dominatrix freti; Phaedr. 634: o fallax Amor! Phaedr. 1164: o dure Theseu semper; Herc. fur. 524: O Fortuna viris invida fortibus; Herc. fur. 1066; tuque, o domitor Somne malorum; Herc. fur. 1334: o fidum caput, Theseu; Oed. 1046: o Phoebe mendax; Ag. 57: o regnorum magnis fallax / Fortuna bonis; Ag. 348: o magni, soror et coniunx, / consors sceptri, / regia Iuno; Ag. 368: tuque o magni nata Tonantis, / incluta Pallas; Thy. 776: O Phoebe patiens; Herc. Oet. 569: O quod superbae non habent umquam domus, / fidele semper regibus nomen Licha; Herc. Oet. 756: o Lares, miseri Lares; Herc. Oet. 1452: o cara Megara; Herc. Oet. 1518: o decus mundi, radiate Titan (= Sol); M a r t. lib. anni 80, 12a, 4: o Lucina ferox; I, 15, 1: o mihi . . . Iuli memorande; II, 22, 1: o Phoebe; II, 33, 4: o Philaeni; IV, 13, 2: o Hymenaee; IV, 17, 3: o Paule; IV, 75, 1: O felix animo, felix Nigrina; V, 18, 10: o Quintiane; VII, 45, 6: o nullis, Ovidi, tacende linguis; VIII, 61, 8: o Severe; X, 38, 9: o Calene; XII, 32, 24: o Vacerra; II, 47, 2: levior o conchis Galle; P e r s. I, 58: o Iane; I u v. 9, 102: o Corydon, Corydon; 9, 137: o parvi nostrique Lares; P e t r o n. 134: o — inquit — Oenothea; frg. 41, 5: Paean o Delphice; 106: o Tryphaena.

o a n t e n o m i n a p r o p r i a p o p u l o r u m: S e n. rh. suas. II, 1: o Lacedaemonii; suas. II, 19: o Danai; L u c a n. VIII, 222: o Parthi; IX, 222: O numquam pacate Cilix; S t a t. Theb. IX, 61: o Argi; Theb. III, 608: vosque o socio de sanguine Achivi? I u v. 5, 119: o Libye; M a r t. I, 38, 1: o Fidentine.

o a n t e n o m i n a p r o p r i a r e r u m: L u c a n. I, 199: summique o numinis instar Roma (urbs!); S t a t. Theb. VII, 283: tuque o Permesse (flumen!); Theb. XII, 811: o mihi . . . vigilata . . . / Thebai (opus!); V a l. F l. IV, 328: o magnanimis memoranda palaestris / Taygeta (mons); S i l. I t a l. IV, 643: o Trebia (flumen) VI, 310: o tristia nobis / Taygeta.

b) o a n t e v o c a t i v o s n o m i n u m a p p e l l a t i v o r u m: 1. d e o r u m: S e n. ep. XVI, 97, 4: o di boni; L u c a n. I, 37: o superi; cf. I, 649; II, 260; II, 296; V, 297; V, 669; VII, 58; VII, 869; VIII, 542; VIII, 630; VIII, 739. S t a t. Theb. III, 239: Vos o superi; S i l. I t a l. VI, 584: o superi; XVI, 87: gemina o mihi numina belli. S e n. Med. 595: o divi; Phaedr. 409: o magna silvas inter et lucos dea / clarumque caeli sidus; Oed. 75: o saeva nimium numina; Herc. Oet. 294: o superi; Herc. Oet. 561: tuque o noverca gravior irata deus / cape.

D i p e r n o m i n a, q u a e m u n u s e o r u m s i g n i f i c a n t, c o m p e l l a n t u r: S t a t. Theb. VIII, 91: o cunctis finitor maxime rerum / at mihi . . . / et sator (= Pluto); S e n. Herc. fur. 205: O magni Olympi rector et mundi arbiter; Herc. fur. 299: o deorum ductor; Herc. fur. 592: O lucis almae rector. L u c a n. II, 531: o scelerum ultores; S t a t. Ach. I, 61: O magni genitor rectorque profundi (= Neptunus); Theb. VIII, 303: o hominum divumque aeterna creatrix; S i l. I t a l. VII, 78: o regina deum.

D i p e r n o m i n a, q u a e a d c o g n a t i o n e m (s i v e d e o r u m i n t e r s e s i v e d e o r u m e t h o m i n u m) p e r t i n e n t, i n v o c a n t u r:[1]) S e n. ep. 107, 11: duc o parens celsique dominator poli (poetam graecum vertens); L u c a n. IV, 110: o summe parens mundi; S i l. I t a l. III, 625: o nate deum divosque dature; VII, 737: Sancte — ait — o genitor (= Iup-

1) De invocationibus deorum, quae ad priscas preces sollemnes referendae sunt, cf. G. Wissowa: Rel. u. Kultus der Römer. pg. 22.

piter); Sen. Herc. fur. 1068: volucre o matris genus Astraeae (= Somnus); Iuv. 2, 126: o pater urbis (= Mars); Petron. 121 v. 103: o genitor, cui Cocyti penetralia parent (Fortuna Plutonem invocat).

2. hominum: α) nominum, quae ad cognationem pertinent: Sil. Ital. IV, 815: o nate; VII, 479: o natae; VII, 564: o nate; cf. IX, 126; IX, 159: felix o terque quaterque / frater; IX, 544: o nata; XI, 475: o dirae Ciconum matres . . ., XIII, 628: o nate; XIII, 749: o vera propago; cf. 466: gens o veteris . . . Clausi; XVII, 260: felix o frater; Lucan. II, 38: o miserae contundite pectora matres; VIII, 94: O maxime coniunx; cf. v. 639. IX, 88: o nati; Stat. silv. I, 2, 69: o genetrix; II, 1, 37; Ach. II, 37: Nimis o supensa nimisque / mater! II, 86: o dignissima caeli / progenies; Theb. V, 33: o pater; V, 278: tuque o mea digna propago; IX, 61: o socer; XI, 394: o mihi nunc . . . frater; Val. Fl. II, 113: o variis coniunx nunc anxia curis; II, 143: o soror; IV, 327: vera o Iovis . . . proles (= Pollux); V, 550: o Iovis alma / progenies (= Castor); VI, 547: o nostrum genus et iam certa propago / Aeoliae (= progenies Phrixi); VI, 676: o soror; VII, 229: o nata; Sen. Phoen. 182: o parens magnanime; Phoen. 334: o propago cara; Phoen. 403: o parens; Phaedr. 911: o tetrum genus / nullaque victum lege (= Phaedra); Phaedr. 959: o magna parens; Herc. fur. 309: o socia nostri sanguinis; Herc. fur. 622: o nate; Tro. 453: o fida coniunx; Tro. 461: o nate; cf. ibid. 469; Herc. Oet. 751: o mater; cf. ibid. 1360; Herc. Oet. 1341: o nate; cf. ibid. 1765: cf. ibid. 1810, 1916, 1929; Herc. Oet. 1498: o clara genetrix; Herc. Oet. 1778: o nimis felix nimis, . . . Thebane coniunx; Phaedr. III, 17, 11: o nata; Mart. II, 34, 6: o mater.

β) nominum, quae ad aetatem pertinent: Sen. phil. ep. VIII—XIII, 76, 33: o virgo; Curt. Ruf. VII, 11, 8: o iuvenes et mei aequales; Lucan. VI, 606: o iuvenis; cf. VI, 803; X, 176: o sacris devote senex; Stat. silv. II, 1, 37: o merito dilecte puer; II, 7, 41: puer o dicate Musis; IV, 8, 14: o iuvenis; Theb. I, 557: o iuvenes; VI, 606: o pueri; VI, 890: o iuvenes; VIII, 743: o primis puer inclite bellis; IX, 780: o multum meritos puer orbature parentes; X, 662: Magnanime o iuvenis; Val. Fl. IV, 206: o iuvenes; Sil. Ital. II, 575: o iuvenes; cf. V, 247; cf. VI, 545, 601, 715; X, 366: o iuvenis; X, 599: o pubes; XVII, 310: fortissime Poenum / o iuvenis. Calp. Sic. II, 22: o pueri; IV, 10: o iuvenis; Sen. Ag. 310: o pubes inclita; Ag. 828: o puer subiture caelum; Mart. II, 41, 1: o puella; VI, 10, 9: o nostri dic conscia virgo Tonantis; IX, 36, 7: Puer o dulcissime; Iuv. 7, 20: o iuvenes; 14, 180: o pueri; Petron. 90: o mi adulescens; 127: o iuvenis.

γ) nominum, quae ad amicitiam et amorem pertinent: Tac. ann. 1, 43, 2: o improvidi amici; Lucan. I, 299: o socii. cf. III, 716; VI, 164; Stat. Theb. X, 266: o socii; Val. Fl. I, 242: o socii; cf. II, 55; VIII, 183; Sil. Ital. II, 44: o socii; cf. V, 588; XII, 578; Sen. Phaedr. 864: o socia thalami; Herc. fur. 646: o magni comes / magnanime nati; Ag. 940: tuque o paternis assidens frenis comes; Petron. 116: o mi hospites.

δ) nominum, quae ordines et munera hominum significant: Lucan. I, 8: o cives; VI, 704: tuque o flagrantis portitor undae; VIII, 759: O maxime — dixit — / ductor et Hesperii maiestas nominis una; IX, 274: O famuli turpes; Stat. silv. I, 2, 33: pone o dulcis, suspiria, vates, / pone; Theb. I, 448: Rex o mitissime Achivum; Theb. V, 105: o viduae . . . / Lemniades; Theb. V, 733: o ductor Nemeae; Theb. VIII, 677: Aoniae rex o iustissime gentis; Theb. XI, 468: o

homines; V a l. F l. IV, 436: o mihi longum / exspectata manus; II, 639: o terris nunc primum cognita nostris / . . . manus. L u c a n. VII, 250: o domitor mundi, rerum fortuna mearum / miles. S i l. I t a l. I, 390: o metuenda manus; II, 700: o gentes; III, 173: o rector Libyae; VIII, 211: rex o fortissime gentis / Sidoniae; XI, 395: o mea turba; XV, 274: macte, o venerande . . . / ductor XVI, 141: o Rutulum rector. C a l p. S i c. I, 36: vos o praecipue nemorum gaudete coloni; III, 10: mobilior ventis o femina. S e n. Phaedr. 432: o fida nutrix; Herc. Oet. 1560: o dites. M a r t. X, 30, 28: o ianitores vilicique. P h a e d r. I, 2, 30: o cives. I u v. 2, 121: o proceres; 6, 46: o medici.

ε) n o m i n u m, q u a e m o r e s h o m i n u m s i g n i f i c a n t: S i l. I t a l. XIII, 738: o fraudum genitor; S e n. Tro. 750: o machinator fraudis et scelerum artifex. M a r t. V, 25, 11: o dissimulator amici.

3. r e r u m: α) c o n c r e t a r u m: S e n. rh. controv. VII, 1, 11: o maria iustiora iudiciis; o mitiores procellae patre! S e n. phil. de ira II, 5, 4: o formosum spectaculum; V a l. M a x. II, 8: o spectaculum admirabile; L u c a n. I, 248: o male vicinis haec moenia condita Gallis, / o tristi damnata loco; VI, 819: o miseranda domus; IX, 64: o bene nudi / Crassorum cineres! S t a t. Theb. VIII, 739: Caput, o caput; Theb. XI, 391: o regum incertissima tellus; IX, 548: ades o mihi dextera; V a l. F l. I, 721: o domus; II, 113: o patria; II, 404: carius o mihi patre caput (= pars pro toto); IV, 30: o dulces . . . pharetrae. S i l. I t a l. I, 598: o patria, o Fidei domus inclita; XIII, 15: o patria. S e n. Phaedr. 718: o silvae, o ferae; Herc. fur. 1226: pectus o nimium ferum; Oed. 626: o Cadmi effera / cruore semper laeta cognato domus; Ag. 169: o scelera semper sceleribus vincens domus; Ag. 783: o cara salve terra; Thy. 625: o domus Pelopi quoque / et Tantalo

pudenda! Herc. Oet. 1325: o terra et urbes; Herc. Oet. 1732: o durum iecur; Octavia 18: o lux semper funesta mihi; Octavia 820: o lenta nimium militis nostri manus. P h a e d r. I, 27, 9: o canis. M a r t. V, 10, 11: Vos tamen, o nostri ne festinate libelli; IX, 30, 2: O tristi crimine terra nocens; IX, 61, 19: O dilecta deis, o magni Caesaris arbor; X, 30, 1: O temperatae dulce Formiae litus; X, 51, 6: o soles; X, 51, 7: o nemus, o fontes; I u v. 5, 136: o nummi; 7, 150: o ferrea pectora Vetti; P e t r o n. 89 v. 11: o patria; frg. 51 v. 1: o litus, o mare.

β) a b s t r a c t a r u m: S e n. r h. suas. II, 6: O grave — — dedecus! Controv. I, 4, 5: O misera pietas; II, 1, 13: O pauperies; VII, 3, 8: O vita misero longa, felici brevis; S e n. p h i l. ep. XVII—XVIII, 107, 2: o mors; de cons. ad. Pol. 3, 3: o dura fata! de benef. II, 13, 1: o superbia; nat. quaest. I, 17, 9: o felix paupertas; P l i n. m i n. paneg. 63, 4: O prava et inscia . . . ambitio; L u c a n. II, 544: o rabies; IV, 190: o rerum mixtique salus concordia mundi / et . . . amor; IV, 373: O prodiga rerum / luxuries; V, 481: O . . . causa laborum; V, 527/8: O vitae tuta facultas / . . . o munera nondum / intellecta deum; VI, 590: O decus Haemonidum (significatur maga quaedam Thessala); VII, 474: o praeceps rabies; VII, 588: O decus imperii, spes o suprema senatus (= titulus hominis); VIII, 678: o summi fata pudoris; IX, 1046: o sors durissima fati; IX, 1108: o bona libertas; S t a t. silv. I, 3, 13: o longum memoranda dies; II, 7, 90: o numquam data longa fata summis! II, 7, 104: o dirum scelus! o scelus! III, 1, 12: o velox pietas! IV, 6, 17: o bona nox; Achill. I, 42: O dolor, o seri . . . timores; I, 533: O scelus! I, 938: o dulcia furta dolique; I, 939: o timor; Theb. II, 489: o caeca . . . / consilia! o semper timidum scelus! III, 295: O . . . requies et sacra voluptas; IV, 536: o nostrae regimen viresque senectae; V, 33:

o nox; V, 608: Archemore o rerum et patriae solamen ademptae; V, 620: o dura ... praesagia ... / nocturnique metus; VII, 176: o . . . graviora periclis / iussa; IX, 17: pulchra o solacia leti; IX, 51: spes o suprema; XI, 333: o . . . / felices tenebrae; XI, 468: o furor. V a l. F l. IV, 30: o dolor; IV, 630: decus o Boreae; VII, 336: o nimium iucunda dies; VIII, 269: o pudor. S i l. I t a l. III, 69: spes o Carthaginis altae, nate; VIII, 674: o dolor; X, 88: o decus aeternum Carthaginis (Hannibal); XIII, 623: o magni mihi numinis instar (Pomponia); XIII, 749: o pietas, o sancta fides; XVII, 187: o dirum exitium mortalibus! o nihil umquam / crescere nec magnas patiens exurgere laudes / invidia! S e n. Phaedr. 634: o spes amantum credula; Phaedr. 918: o vita fallax; 988: o vane pudor falsumque decus! 991: o sors acerba et dura; 1188: o mors amoris una sedamen mali, / o mors pudoris maximum laesi decus: 1253: o triste fractis orbitas annis malum! 1271: o dira fata. Tro. 766: o dulce pignus, o decus (Astyanax); cf. 767: o Danaum timor; 768: genetricis o spes vana; Tro. 164: o longa . . . mora; 890: o coniugale tempus; 1056: o dura fata, saeva, miseranda, horrida! Oed. 6: o fallax bonum; 75: o fatum grave; 180: o dira novi facies leti; 250: tuque, o . . . decus (= Sol); Ag. 910: o paternae mortis auxilium unicum (Orestes); Thy. 743: o saevum scelus; 753: o nullo scelus / credibile in aevo; Herc. Oet. 295: o nulla dolor / contente poena; Herc. Oet. 814: o fata; 1027: o misera pietas; 1171: o misera virtus; 1177: o turpe fatum; 1232: o dirum nefas; 1253: o dirum malum; 1264: o malum simile Herculi; Octavia 57: O mea . . . / fortuna; P h a e d r. III, 1, 5: o suavis anima; M a r t. (lib. anni 80) 20, 4: o dulce . . . ingenium; III, 7, 4: o fames amicorum; III, 19, 8: o facinus; IV, 7, 4: o nox; V, 1, 7: o rerum felix tutela salusque (Caesar Domitianus); VIII,

78, 4: o pudor! o pietas! IX, 70, 1: o mores! o tempora! X, 38, 4: O nox omnis et hora; XI, 26, 1: o mihi grata quies, o blanda cura; XI, 71, 8: o medicina gravis! XI, 93, 3: o scelus, o magnum facinus; XII, 24, 1: o iucunda solitudo; XII, 32, 1: O Iuliarum dedecus Kalendarum; P e r s. I, 26: o mores; II, 61: o curvae . . . animae. I u v. 10, 159: o gloria; P e t r o n. frg. 51 v. 3: o formosa dies; 109: o fallax natura deum.

c) o a n t e v o c a t i v o s a d i e c t i v o r u m e t p a r t i c i p i o r u m: S e n. p h i l. de cons. ad Helv. 10, 5: o miserabiles; S t a t. silv. I, 2, 163: o mihi Laurentes inter dilecta puellas; III, 4, 63: o sidere dextro edite; V, 3, 255: o digne videre; V, 5, 59: o nimium felix, nimium crudelis et expers; Theb. I, 22: teque o Latiae decus addite famae; I, 250: o iustissime divum; I, 716: o memor hospitii; II, 19: o felix; II, 668: o timidi paucique; IV, 340: o saxis . . . et robore nati; IV, 474: tuque o saevissime fratrum; IV, 612: o iam satis ulte; IV, 829: tuque o cunctis insuete; V, 33: o miserae; cf. V, 140; V, 246: o miserande; X, 498: tuque o spectate palaestris; X, 610: o sontes; L u c a n. I, 87: o male concordes nimiaque cupidine caeci! IV, 212: Immemor o patriae, signorum oblite tuorum; IV, 319: o fortunati; VII, 29: o felix; VII, 43: o miseri; VII, 95: o caeci; VIII, 95: o thalamis indigne meis; VIII, 658: o saevi; IX, 126: o felix; cf. IX, 208; IX, 268: o degeneres; V a l. F l. II, 378: o miseri; IV, 553: o terras fama venture per omnes; VIII, 37: o decus . . . magnum ventura; S i l. I t a l. IV, 662: o regnis inimice meis; VI, 419: o dure; XI, 236: o demens! XII, 205: o miseri; XII, 703: o vecors. C a l p. S i c. VII, 74: o felix. S e n. Phaedr. 687: o scelere vincens omne femineum genus; 694: o ter quaterque prospero fato dati; 1114: o nimium potens; Herc. fur. 359: o clarum trahens / . . . nomen; Tro. 301: o tumide. M a r t. I, 103, 11: o fallax; II, 40, 8: o stulti;

V, 25, 11: o frustra locuples; VII, 25, 4: o demens; IX, 20, 3: felix o, quantis . . . (o postpositum!); IX, 56, 10: o felix, si quem . . . XI, 73, 5: o fallax; XIV, 139, 1: o stulte. Pers. III, 15: o miser; III, 66: o miseri; VI, 43: o bone. Iuv. 6, 222: o demens; 14, 211: o vanissime.

Nonnulla de collocatione interiectionis ó addo (cf. locos supra allatos): o nimirum plerumque ea vocabula, quibus additum est, praecedere solet, sed exempla non desunt, quibus alia collocatio demonstratur: o inter duo substantiva: Stat. Theb. VIII, 739: caput o caput.

o inter substantivum et eius adiectivum vel participium: Lucan. VII, 588; Stat. silv. II, 7, 41; Theb. I, 448; VIII, 677; IX, 17; IX, 51; X, 662; Sen. Herc. fur. 1226; Mart. IX, 36, 7; Petron. frg. 41, 5; Sil. Ital. XVI, 87; VII, 737; VIII, 211; IX, 159; XVII, 260, 310.

o inter pronomen personale et vocativum: tuque o: Stat. Theb. VII, 283; IV, 34; V, 278; I, 22; IV, 474; IV, 829; X, 498; Lucan. VI, 704; Sen. Herc. fur. 1065; Ag. 369, 940; Herc. Oet. 561; Oed. 250. vosque o: Stat. Theb. III, 608; III, 239; Mart. V, 10, 11.

Inter vocativum et o enuntiata relativa intercedunt: Lucan. I, 195: O magnae qui moenia prospicis . . ., Tonans; cf. Stat. Theb. X, 762; Sen. Herc. Oet. 569: O quod . . . non habent . . . domus, / fidele semper regibus nomen Licha.

Alii loci, quibus collocatio a consuetudine abhorret, sunt: Lucan. I, 195: summique o numinis instar; cf. Val. Fl. II, 404; IV, 327; IV, 30; I, 215; Stat. Ach. II, 37: Nimis o suspensa . . . mater; Mart. XI, 20, 3: felix o. o exstat in medio enuntiato, in quo vocativus, ad quem illud pertinet, inest: Val. Fl. II, 274: linque o mihi caede madentem, / Bacche, domum.

B.) o praecedit nominativos: saepe decerni non potest, utrum vocativus an nominativus positus sit. Haec constructio enuntiatum ellipticum adaequat, verbum deest! Val. Max. VII 2 Ext. 10: o Philippus maiore ex parte mercator Graeciae quam victor . . . Lucan. II, 116: Degener o populus; VIII, 843: satis o nimiumque beatus / si mihi contingat . . . IX, 980: O sacer et magnus vatum labor . . . IX, 1058: O bene rapta /arbitrio mors ista tuo! Stat. Theb. III, 367: o ego divis invisus . . . Val. Fl. IV, 242: tune, o sociis electus iniquis . . . Sen. Phaedr. 1271: numinum o saevus favor . . . Herc. Oet. 1176: dirius o nobis pudor; Ag. 928: o nulla longi temporis felicitas! Octavia 877: ō funestus multis populi / dirusque favor . . . Mart. VI, 49, 7: o malus; IX, 40, 9: o tardus nimis et piger; maritus; Pers. I, 61: o patricius sanguis.

C. o praecedit accusativos: a) personarum: Sen. rh. controv. IV, 6: o magnos viros, qui . . . IV, 2: o faciendum sacerdotem; V, 8: o hominem fastidiosum; VI, 4: o dignam quam . . . sequar; VI, 6: o me tardissimum; VI, 8: o te . . . dignam, cui . . . est! VII, 6, 8: o te, soror, miseram; VII, 6, 9: o nos felices, si . . .; VII, 8, 4: o hominem impudentem; IX, 2, 1: o miserum, siquis . . . o miseram matrem familiae, si quoius . . .; IX, 4, 17: o te parricidam, nisi . . .; X, 2, 10: o felicem patrem; X, 3, 6: o te crudelem, nisi . . .: X, 4, 4: o te . . . felicissimum, quod . . .; X, 4, 7: o miserum, siquis . . .; X, 4, 10: o miseros, qui . . .: X, 4, 25: o infelicem patrem; controv. I, 8, 1: O me . . . lassum! II, 1, 14: o me . . . abdicandum, si . . .: II, 2, 1: o te felicem, uxor! II, 3, 6: o me miserum, quod . . .; cf. II, 4, 4; II, 5, 6: o nos felices! II, 7, 7: o nos . . . natos! suas. II, 16: o virum cuius . . . Sen. phil. de const. sap. 17, 4: o miserum me; de ira III, 14, 4: o re-

gem cruentum, o dignum, in quem . . .; ad Marc. de cons. 20, 1: o ignaros; de vita beata 23, 2: o magnum virum, o optimum divitem; de tranq. an. 14, 3: o te ineptum; ad Helv. matr. de cons. 9, 5; cf. de cons. 12, 6 v. 10; ep. I, 11, 9; ep. V, 43, 5; V. 46, 3; VI, 56, 3; VII, 68, 8; VIII—XIII, 70, 21; 78, 23; 82, 12; 86, 11; 88, 38; de benef. VII, 10, 5; de clem. I, 13, 3; ibid. I, 16, 1; I, 18, 2; nat. quaest. II, 59, 9. Plin. min. ep. VIII, 13, 2: o te beatum, cui . . .; paneg. 70, 2: o te dignum qui . . .; 74, 1: o te felicem; 74, 4: o nos felices! Val. Max. IV, 6, 1: o te damuatum; Curt. Ruf. VI, 9, 10: o magni animi virum; Tac. ann. 3, 65, 11: o homines . . . paratos; Lucan. I, 510: o faciles dare summa deos; VII, 205: o summos hominum. Sen. Thy. 879: o nos dura sorte relatos; Thy. 911: o me caelitum excelsissimum / regumque regem! Phaedr. I, 12, 13: o me infelicem! Iuv. 15, 10: o sanctas gentes, quibus . . . Petron. 106: o te feminam simplicem; 24: o hominem acutum; 92: o iuvenem laboriosum; 94: o felicem matrem tuam, quae . . .

b) rerum: 1. concretarum: Sen. rh. suas. II, 16: o . . . atramentum; controv. I, 1, 3: o felix spectaculum, si . . . I, 7, 2: o felicem rem publicam, quod . . . Sen. de ira II, 5, 5: o rem regiam; Plin. min. ep. 1, 9, 6: o mare! o litus! paneg. 7, 1: o novum . . . iter; Val. Max. IV, 1, 12: o rem publicam; IV, 7 Ext. 2: o domum; VII, 2 Ext. 5: o nobilem . . . pannum; Sen. Herc. fur. 1236: o novercales manus; Tro. 956: o manum Paridis levem; Iuv. 10, 122: o fortunatam Romam; Sil. Ital. VI, 339: o diram Latio lucem! fastisque notandum / dedecus o, Gradive, tuum!

2. abstractarum: Sen. rh. suas. VII, 6: o gravem vitam, etiamsi . . .; controv. I, 1, 17: O graves . . . vices tuas; I, 2, 1: o egregium . . . patrocinium; I, 4, 1: o acerbam . . . recordationem, o tristem . . . memoriam; II, 1, 38: o temerariam . . . contumaciam; II, 2, 4: o conditionem aequam; III, 1: o legem . . . abrogandam; III, 5, 3: o magnam perversitatem; VII, 6, 3: o matrimonium; IX, 6: o mendacium; X, 4, 3: o novum monstrum; exc. lib. X pg. 525 v. 4: o furtum . . . narrandum! Sen. de cons. ad Pol. 13, 4: o felicem clementiam . . . quae . . .; ep. V, 48, 7: o pueriles ineptias; cf. ep. VII, 63, 2; ep. 88, 13; XVI, 99, 31; XVII—XVIII, 104, 28; XIX, 113, 26; de benef. III, 15, 3; de clem. II, 1, 3; Plin. min. ep. I, 9, 6: o rectam . . . vitam, o dulce otium; V, 16, 6: o . . . tempus indignius; VI, 11, 1: o diem laetum; cf. VI, 11, 3; VI, 20, 2: o . . . vices; paneg. 80, 3: o veras . . . curas; 86, 2: o rem memoniae mandandam; Vell. Pat. II, 114, 1: o rem dictu non eminentem; Curt. Ruf. VII, 1, 37: O miseram condicionem, quia . . . Tac. ann. 11, 34, 4: o facinus! o scelus! Val. Max. V, 1, 1: o munificentiam . . . o legationem; IX, 13, 3: o cunctationem, . . . o fidem; Stat. silv. IV, 7. 31: o diem laetum; Sen. Med. 431: o dura fata semper et sortem asperam; 985: o placida tandem numina, o festum diem; 986: o nuptialem sc. diem; Phaedr. App. 29, 2: o sortem iniquam; Mart. II, 65, 3: o grande crimen! o gravem casum! X, 38, 1: o molles, . . . / quos . . . indulsit deus, annos; Pers. I, 1: o curas; Iuv. 13, 140: o delicias; Petron. 91: o facinus indignum; 13: o lusum mirabilem.

Adnotatio: Unico loco — Luc. II, 45 — o ante genetivum positum est: „O miserae sortis, quod . . . nati . . . fuimus.“ (fortasse cogitare licet de ellipsi vocis „condicionem“.) Alibi — in litteris latinis — hunc usum reperire non potui.

D. o cum enuntiatis plenis coniungitur: a) cum enuntiatis exclamativis et pronuntiativis, qua in re certae formulae finguntur:

o quam: Sen. rh. controv. X, 4, 20: o quam misera cogitatio . . . est; Sen. phil. de ira I, 18, 76: o quam sollers est; de ira III, 28, 1: o quam bonum tempus perdis; de vita beata 2, 2: o quam sibi ipse . . . fatebitur; de cons. ad Helv. 19, 5; nat. quaest. I praef. 5; I praef. 9; nat. quaest. IVb, 13, 3; de clem. I, 25, 1; ep. VI, 60, 1; VIII — XIII, 78, 21; ep. 87, 9; ep. XV, 95, 73; ep. 104, 8; XIX, 113, 30; Stat. silv. II, 6, 60; Theb. II, 176; Sen. Ag. 611: o quam miserum est; Herc. Oet. 233; Octavia 385: o quam iuvabat; Phaedr. IV, 5, 30: o, si maneret condito sensus patri, / quam graviter ferret. (ubi inter „o" et „quam" enuntiatum condicionale intercessit); Mart. lib. (anni 80) 9, 3: o quam terribiles exarsit . . . in iras; lib. (anni 80) 13, 3: o quam certa fuit . . . dextera; Mart. II, 4, 1: o quam blandus es; cf. V, 61, 11; VI, 58, 3; VII, 11, 3; VII, 31, 7; VIII, 53, 3 (o quam . . . vellem); X, 12, 8; XI, 56, 7; XI, 56, 13.

o quantus (um): Sen. rh. suas. I, 3: o quantum . . . supergressa est! controv. IX, 4, 2: o quantum istis debemus; X, 2, 16: o quantam ego cupiditatem . . . vidi; Sen. phil. de const. sap. 14, 1: o quantus inter ista risus tollendus est; de brev. vit. 13, 7: o quantum caliginis . . . obicit; de cons. ad Helv. 12, 3; de benef. VI, 3, 1; ep. 87, 10; ep. XVII—XVIII, 101, 4. Plin. ep. VII, 25, 1: o quantum . . . aperit ac subtrahit; Lucan. IV, 385: o quantum paenituit; Stat. silv. IV, 3, 49; Ach. I, 167; Theb. II, 460; IV, 761; Val. Fl. I, 168: o quantum terrae . . . cognoscere . . . / permissum est! Sil. Ital. XI, 326: o quantum nomine maior / . . . tibi natus erit! Sen. Thy. 449; Herc. Oet. 61, 1760; Phaedr. I, 7, 2: o quanta species . . . non habet; Mart. lib. (anni 80) 14, 4; V, 70, 5; VI, 37, 4; VII. 97, 9; VIII, 7, 4: o quantum tacere potes; VIII, 28, 21; VIII, 55, 9; XI, 87, 3; XII, 70, 9; Pers. I, 1: o quantum est; Iuv. 6, 317: o quantus . . . ardor. — Uno loco

intellegi non potest, utrum o potius vocabulo „tum" an vocabulo „quantus" additum sit: cf. Stat. silv. III, 2, 131: o tum quantus ego . . . movebo.

o qualis: Lucan. III, 79: Perdidit o qualem . . . triumphum! Octavia 698: o qualis altos quanta pressisti toros / residens in aula; Mart. I, 103, 3: qualiter o vivam; Iuv. 10, 157: o qualis facies et quali digna tabella;

o qui (= qualis): Phaedr. I, 13, 6: o qui tuarum, corve, pinnarumst nitor! Mart. VII, 97, 10: o quae gloria! X, 38, 6: o quae proelia . . . vidit. Calp. Sic. IV, 152: o mihi quae . . . decurrent carmina.

o quotiens: Sen. Herc. Oet. 93: o quotiens iacet / Python in hydra! Mart. IX, 84, 7: o quotiens . . . dixisti; XI, 16, 5: o quotiens . . . pulsabis; XIV, 119, 2: o quotiens . . . culcita facta mea est!

o quando: Sen. phil. ep. II, 20, 7: o quando ille veniet dies; ep. IV, 32, 4: o quando . . . videbis tempus.

Nonnulla exempla imprimis memorabilia, quibus usus interiectionis o in enuntiatis illustratur, afferam: o enuntiatis ellipticis (i. e. quibus praedicatum deest) additum est (cf. supra — pg. 23 — caput: „o praecedit nominativos"): Stat. silv. I, 2, 169: satis o nimiumque priores / despexisse procos; Mart. VII, 15, 3: o bene, quod silva colitur; Stat. Theb. III, 360: nunc, o nunc tempus . . . in hostis . . . (ubi „nunc" repetitum per „o" maxime effertur). Hoc o in anaphora positum invenitur etiam apud Silium Italicum: cf. Sil. Ital. III, 509: nunc o nunc, socii . . . IV, 475: macte o macte indole sacra . . . macte o: Sil. Ital. X, 277: macte o virtute paterna; XII, 257: macte o virtutis avitae, / macte Antenoride! cf. Val. Fl. VI, 547. o iam: Val. Fl. II, 485: verum o iam redeunt . . procul o: Sil. Ital. II, 372: Di, procul o. . . . / . . . prohibete nefas. o in formula „o precor": Stat. Theb. VII, 249:

dic, o precor; — Val. Fl. IV, 460: sed vos o servate precor, praedicta (ubi dubium esse videtur, utrum o imperativum „servate" [cf. Sil. Ital. XIII, 8: dic o . . .] an verbum in parenthesi positum „precor" corroboret); Val. Fl. IV, 624: sinite, o precor.

o rem obiectam enuntiati corroborat: Stat. silv. V, 3, 255: o Pylias aevi transcendere metas; Sil. Ital. IV, 673: redde o me . . .

b) o ante enuntiata optativa: certae formulae occurrunt: o si: Sen. rh. controv. I, 6, 7: o si scires; X, 2, 19: o si . . . interesset; Stat. Ach. I, 321,: o si mihi . . . contingat; Theb. VIII, 739: o mihi siquis apportet; XI, 614: o si . . . redirent / lumina; XII, 72: o nisi . . . inisset / ardor; Val. Fl. I, 336: o si mihi sanguis (verbum deest); XIII, 10: o mihi si . . . amplexus dares; Calp. Sic. II, 52: o si quis Crocalen deus afferat! Sen. Herc. Oet. 648: o si pateant pectora ditum! Mart. XII, 24, 9: o si conscius esset; Pers. II, 9: o si / ebulliat; II, 10: o si . . . crepet; Petron. 44: o si haberemus. o utinam: Lucan. II, 306: o utinam liceret; cf. IV, 509; VIII, 88; VIII, 306; Stat. silv. V, 1, 178; Theb. V, 472; VII, 358; Val. Fl. I, 113: o utinam . . . rueret; Val. Fl. III, 617; VII, 135; VII, 534; VIII, 439; Calp. Sic. VI, 86: fortior o utinam non nunc . . ,. adesset; VII, 79: o utinam . . . inesset.

o enuntiato optativo simplici additum est: Stat. Theb. III, 648: tuus o furor auguret uni; Val. Fl. II, 218: o qui me . . . canentem / sistat et . . . exsolvat; Sil. Ital. IV, 127: assis o firmesque . . .; VII, 250: o maneat.

c) o ante enuntiata relativa: Sen rh. controv. IX, 2, 7: o qui crudelitate . . . superasti tyrannos; Stat. Theb. V, 20: attamen o quaecumque es; VI, 916: Tuque o quem . . . Lucan. IX, 379: o quibus una

salus placuit . . . mori, componite; Val. Fl. I, 7: tuque o, pelagi cui maior aperti / fama . . . I, 194: o qui spumantia . . . / regna quatis; IV, 674: o quicumque deorum / . . . ciet; V, 233: o qui . . . passus . . .; Sen. Thy, 14: o quisquis nova / supplicia . . . arbiter / disponis; Mart. IV, 54, 1: o cui . . . licuit; IX, 23, 1: o cui . . . contigit; Pers. I, 44: quisquis es, o modo quem ex adverso dicere feci; (cf. locos supra — pg. 22 — allatos).

d) o ante enuntiata interrogativa:

o ubi: Stat. silv. II, 1, 41: o ubi . . . suffusus sanguine candor . . .? II, 1, 52: o ubi venturae spes non longinqua iuventae . . .? Theb. III, 698: o ubi prima / hospitia et iunctae . . . dextrae? Val. Fl. IV, 469: o ubi nunc regni . . . gloria? Stat. Theb IX, 211: quid o nova fata recusas . . .? (ubi o pronomini interrogativo „quid" postpositum est).

2) a! (ah!)

a! vel ah! interiectio lamentationis, indignationis, taedii, monitus est. — Priscianus (I, 19, 26 et I, 48, 23) formam ah ex aha[1]) (ut vah ex vaha) correptam esse docet; quomodo ab illo aspiratio post vocalem a — apocopa extremae vocalis facta—explicatur. Sed haec ratio, quam — ut Handius l. c. I pg. 213 recte dicit—ars, non natura docuit, vix probari potest. De orthographia interiectionis Richterus (in Studemundi stud. I, 2 pg. 396 sq.) satis diffuse egit: ex libris manuscriptis elucet apud scriptores priscos (Plautum, Terentium) scripturam „ah" certis optimorum codicum testimoniis constare, cum apud scriptores aetatis Augusteae (cf. Richter in progr. Hag. pg. 4) et scriptores aetatis argenteae forma „a" longe praevaleat. Fortasse hic quoque recte iudi-

1) „aha" apud Plautum novem locis, apud Terentium uno loco a Richtero statuitur. v. Studemundi stud. I, 2 pg. 396.

camus, cum „ah" a simplici „a" non modo scriptura, sed etiam pronuntiatu pleniore abhorruisse conicimus.[1]) Quamquam de hac re nihil certi dicere possumus, tamen „ah" formam interiectionis priscam esse, pro qua temporibus posterioribus simplex „a" ponatur, constat. a (ah) apud poetas priscos et Augusto aequales saepissime occurrit, cum usus huius voculae apud scriptores, de quibus hac dissertatione agitur, minuatur. Interiectio, quae vox poetarum propria est, in prosa oratione non legitur nisi apud Varr. Men. 361 (codd. ab) et Cic. de rep. 1, 59; de orat. 2, 285. Quod ad notionem attinet, „a" nonnullis locis Plautinis et Terentianis (cf. Plaut. Pers. 622; Ter. Ad. 269) etiam gaudentis esse videri commemorandum est. Apud posteriores autem hac vocula semper fere affectus animi iniucundus, qui iam apud priscos longe praeponderat, exprimitur, ut usus, quem iam illustremus, docebit:

I. a ante vocativos:

iunctura frequentissima est: a miser. cf. Stat. silv. IV, 6, 8: a miseri! Theb. IV, 99: a miser! IV, 247: a rudis annorum; IV, 403: a miseri morum! VII, 503: a miserae matres! I, 156: a miseri; VII, 515: a dolor; Val Fl. VI, 498: a misera; Calp. Sic. III, 59: a dolor; cf. IV, 44; Sen. Med. 930: a demens furor! Mart. VII, 65, 3: ah miser et demens. (in Martialis contextu omnes editores formam „ah", quam codices commendant, posuerunt. Fortasse Martialis pleniore „ah" orationi suae colorem vetustatis dare vult); XI, 70, 5: ah facinus; XI, 91, 3: ah scelus! ah facinus! a cum accusativo coniunctum, quod bis apud Terentium (Ad. 309 et 329) et semel apud Catullum (15, 17) invenitur, in latinitate argentea non iam usurpatur.

1) C. Scaliger (de causis lat. ling.) pg. 412 rem optime perspexisse videtur, qui dicit: „Adspiratio explicat suspiria et difficultatis nota est."

II. a enuntiata exclamativa praecedit:

a quotiens: Lucan. V, 615: a quotiens frustra pulsatos aequore montes / obruit illa dies! Val. Fl. I, 447: a quotiens . . . soror . . . / flevit; Sen. Herc. Oet. 211: a, si tumulum fata dedissent, / quotiens, genitor, quaerendus eras! Mart. XIV, 115, 2: ah quotiens perdidit auctor opus! a quantus: Stat. Theb. III, 286: a! mea quanto / Sithonia mallem nupsisset virgo sub Arcto / trans Borean; Sen. Herc. Oet. 1794: a quanta supplicia expetet. Semel a enuntiato exclamativo immissum est: cf. Val. Fl. I, 331: quotiens raucos ad litoris ictus / deficiam a! Scythicum metuens . . .

III. a cum enuntiatis pronuntiativis coniunctum est:

iuncturae frequentiores sunt: pudet a: Mart. IV, 67, 7: ah pudet ingratae, pudet ah male divitis arcae! cf. VI, 10, 4 et XII, 15, 9: pudet, ah pudet fateri. a miser: Stat. Theb. IV, 786: a miserum vicino caespite alumnum / . . . locat; VII, 116: a miseri vidisse putant; IX, 357: nusquam ille, sed index / desuper, a miserae nimium noscenda parenti, / parma natat; Calp. Sic. V, 76: a! miserum fragili rubigine corpus / arrodet sanies. a in anaphora tribus locis offertur: Stat. silv. III, 3, 25: felix, a! nimium felix plorataque nato / umbra venit; Sen. Tro. 1013: semper a semper dolor est malignus; Med. 139: melius, a melius, dolor / furiose, loquere. Alia exempla sunt: Stat. silv. V, 5, 53: tu me caligine maesta / obruis a! durus; Theb. II, 350: noctis imago / terret et a! memini, numquam mihi falsa per umbras / Juno venit. Sen. Phoen. 524: a, triste conspectus datur / pretium tui durumque . . . (ubi lectio dubia est) Calp. Sic. III, 34: a! vereor, . . .

Interdum verbum enuntiati, quocum a coniunctum est, deest: L u c a n. VI, 724: a miser . . . (sc. es) non posse mori; S t a t. silv. III, 3, 124: felix a! (sc. esses) si longa dies, si cernere vultus / natorum viridisque genas tibi iusta dedissent / stamina! (ubi „felix esses, nunc autem a! infelix es“ supplendum est.) Ach. I, 800: a! multum steriles damnatus in annos / invisusque deis (sc. est), si . . .

IV. a e n u n t i a t a o p t a t i v a p r a e c e d i t: L u c a n. VI, 328: a potius . . . te Caesar putet esse suam; VII, 555: a potius pereant lacrimae pereantque querellae (a exsecrantis est); V a l. F l. VII, 139: a redeat; J u v. 14, 45: procul a procul inde puellae / lenonum et cantus pernoctantis parasiti! (a exsecrantis est) sc. sint.

V. a i n i n t e r r o g a t i o n i b u s e x s t a t: V a l. F l. III, 298: meque tuus nunc plangeret a! malus error? P e r s. III, 16: a cur non potius . . . / poscis et . . . recusas? (a corrigentis est)

3) ei!

„ei“ interiectio metuentis, perterriti, dolentis, querentis est. De scriptura huius voculae (utrum „hei“ an „ei“ scribendum sit) Richterus — in Studemundi stud. I, 2 pg. 460 sq. — disserit et compluribus ex Plauto et Terentio sumptis illustrat „ei“ lectionem rectam priscorum esse, quam — in progr. Hag. pg. 10 — etiam apud poetas Augusto aequales commendat; et hanc scripturam apud scriptores aetatis argenteae reservandam esse libri docent.[1]) „ei“, quod apud Plautum et Terentium saepissime, apud poetas aetatis optimae saepius (imprimis apud Ovidium) obviam fit, in latinitate argentea non raro usurpatur, sed usus, qui prius liberior est, tunc magis magisque in formulis certis versatur: apud hos scriptores „ei“ ubique cum dativo „mihi“ coniungitur.

I. „e i m i h i“ e n u n t i a t i s p r o n u n t i a t i v i s e t e x c l a m a t i v i s a d d i t u r: S t a t. Theb. III, 710: Ei mihi! care pater, iterum fortasse rogabo; Theb. IV, 644: miserosque per ensis / ei mihi! crudelis vincit pater; Theb. VIII, 111: ei mihi! nil ex me sociis patriaeque relictum; Theb. XI, 624: ei mihi, quos nexus fratrum, quae volnera tracto! Theb. XII, 340: ei mihi! sed quanto descendit volnus hiatu! S i l. I t a l. XV, 732: ei mihi, quanta / cessavit Latio dextra; S e n. Herc. Oet. 1402: Ei mihi, sensum quoque / excussit illi nimius impulsu dolor. Herc. Oet. 1784: ei miserae mihi! / quicumque caesos ingemit natus patres, / a me petet supplicia; Octavia 150: intravit hostis, ei mihi, captam domum; M a r t. II. 1, 12: ei mihi! quam multis sic quoque longus eris!

II. „e i m i h i“ i n t e r r o g a t i o n e s p r a e c e d i t: S i l. I t a l. XIII, 655 ei mihi! nam cur / . . . fuere . . ./ momenta? S t a t. Theb. III, 6: Ei mihi — clamat — unde morae? Theb. IX, 629: ei mihi! cur penitus — simque augur cassa futuri! — / cur penitus magnoque interpretor omine quercum? Theb. XII, 379: ei mihi! num quis adest? V a l. F l. I, 327: ei mihi! Colchos / unde ego et avecti timuissem vellera Phrixi? VII, 236: cui vadis Hibero (ei mihi!) vel saevo coniunx non una Gelono? (ubi „ei mihi“ per parenthesin interrogationi immissum est) VII, 483: ei mihi, cur nullos fundunt . . . fletus? P e t r o n. 108, 14: ei mihi, fata . . quis evocat. .?

III. „e i m i h i“ e n u n t i a t a c a u s a l i a (quae, quamobrem exclamatio fiat, demonstrant) p r a e c e d i t: S t a t. Theb. XII, 99: ei mihi, quod positos humus alma diesque resolvet! silv. V, 3, 225: ei mihi, quod . . . ego

1) De orthographia nonnulla invenies apud Neue-Wagener l. c. II pg. 981/2: Cum Eutych. apud Cassiod. de orthogr. (200, 16 K) et Prob. inst. art. (146, 11 K) aspirationem postulent, „ei“ a Charisio (239, 24 K), ab aliis testimoniis confirmatur.

vertice frondes / . . . tuli; Val. Fl. VII, 284: ei mihi, quod nullas hic possum exsolvere grates!

IV. „ei mihi“ enuntiatum condicionale praecedit: Val. Fl. VI, 624: Ei mihi, si durae . . . subducere sorti / moliar.

4) eu!

In vocula „eu“ iam apud scriptores latinitatis priscae duae notiones diversae vel contrariae distinguendae sunt. (cf. Richter in Studemundi stud. I, 2 pg. 507 sq. et in progr. Hag. pg. 12) „eu“ aut particula adprobativa est, quae ex lingua graeca derivatur (cf. *εὖ — εὖγε*), velut Plaut. mil. 1146 Pers. 156, 667; Ter. Eun. 154, saepius, aut notione affirmativa utitur. (cf. Plaut. Men. 908.) Interiectio, quae in comoedia saepius invenitur, apud poetas Augusto aequales unico loco — Horat. ars poet. 328 — occurrit, ubi applaudentis est. In latinitate argentea unum locum: Petron. 122 v. 156 — inveni, ubi praeter alias lectiones varias „eu“ quoque offertur: „Juppiter omnipotens et eu, Saturnalia tellus, / armis laeta meis . . . / testor.“ Fr. Buechelerus in editione Petronii sua „te“ in contextum recepit, quod non traditum est; nam excerpta pleniora (Scaligeri) „tu“ habent, excerpta volgaria codicis Bernensis deteriorumque „eu“ habent. Equidem cum Buechelero puto, „eu“ retineri non posse, praesertim cum ex libris deterioribus sumptum sit et ad sensum vix quadret; Buecheleri coniectura „te“ certa videtur esse. „eu“ igitur ex litteris latinis tunc temporis plane evanuit.

5) au!

De hac voce cf. Handii Tursell. I pg. 524. 525 et P. Richter: Studemundi stud. I, 2 pg. 415, imprimis pg. 420. „au“, quod non nisi a mulieribus exclamatur, semper stupentis et perculsae est. Richterus Handium secutus notionem sic definit: „au“ stupentis et perculsae est, re quadam insperata et inexspectata, incredibili et rationi repugnante.“ A Prisciano (II, 91, 3 H.) „au“ inter „sonituum illitteratorum imitationes“ numeratur; igitur sonus naturalis est. Charisius (241, 12 K.) duo testimonia huius vocis ex Afranio (97 et 103) affert, Donatus (ad Ter. Eun. 5, 2, 60) cum hac vocula gaecam „*ἰού*“ confert. Si Richterum sequimur, „au“ octo locis Terentianis, duobus vel tribus Plautinis, duobus Afranianis scribendum est. Apud poetas Auqusto aequales nusquam invenitur; aetate argentea apud Petronium — 67, 13 — legimus: „au, au“ illa (Fortunata) proclamavit aberrante tunica super genua.“ (ubi exclamatio consternationis et pudoris est).

b) vocales aspiratae:

heu!

heu! — ut usus docet et omnes grammatici consentiunt[1]) — interiectio dolentis, lamentantis est. „heu“, quod et cum casibus nominum et cum enuntiatis plenis coniungitur, imprimis a poetis usurpatur, cum apud scriptores solutae orationis rarissime occurrat: velut Cicero „heu“ in libris philosophis sexies, in orationibus modo semel habet,[2]) Quintilianus (nam 1, 4, 20 vocabulum „heu“ modo commemoratur, non in exclamatione ab illo usurpatur) et Tacitus illud nusquam adhibent. In prisca latinitate „heu“ apud Plautum et Terentium non tam saepe quam in fragmentis scaenicis (apud Ennium, Pacuvium, Accium, Afranium) invenimus, atque maxime in formulis: „heu me miserum (infelicem)“ „heu miserae mihi“ apparet,[3]) raro enuntiata praecedit (saepius in

1) quorum testimonia a Richtero in Studemundi stud. I, 2 pg. 562 composita sunt: cf. Charis. p. 238, 20 et pg. 239, 1, alios.

2) cf. Mergueti lex. Cic. vol. II, 141 et vol. 3, 450.

3) cf. P. Richter in Studemundi stud. I, 2 pg. 563—565.

fragmentis scaenicis). Poetae optimae aetatis autem hanc interiectionem plurimum amant et saepissime liberius adhibent, velut ibi cum accusativis, vocativis, semel etiam cum genetivo (Prop. V, 7, 21), persaepe cum enuntiatis solis coniunctum est. Atque poetas aetatis argenteae hanc rationem secutos esse infra videbimus.

I. „heu" cum casibus coniungitur:

a) cum vocativis:

α) nominum propriorum: Lucan. VIII, 139: heu nimium felix aeterno nomine Lesbos; Stat. Theb. VIII, 439: heu celeres Parcae! Theb. XII, 561: heu princeps Natura.

β) nominum appellativorum: (plerumque adiectiva vel participia, in quibus notio improbantis vel lamentantis inest, addita sunt) Stat. Theb. XII, 124: impia coniunx / heu vacuos positura rogos; Val. Fl. I, 287: heu saevae . . . novercae! Sil. Ital. I, 600: heu superi! V, 76: heu fatis superi certare minores; VI, 584: heu nate; XII, 286: vosque, invicta diu, nunc heu sine Marte iuventus / debellata bonis Capuae . . . / . . . vobis terga dedi; XV, 523: heu superi!

γ) adiectivorum vel participiorum: (quae plerumque notionem improbationis habent) Lucan. II, 575: heu demens! cf. V, 228; Stat. Theb. II, 23: heu dulces visure polos solemque relictum; II, 296: heu quibus, heu placitura toris! (Jocaste) III, 17: heu segnes; cf. V, 117; III, 187: Semianimem heu laeto referens clamore Learchum; VII, 547: heu nimium mitis; VII, 550: heu demens! Val. Fl. VII, 533: heu miser, heu tantis . . . carpende periclis; VIII, 100: heu saevum passure diem; VIII, 473: heu dure; Sil. Ital. II, 180: heu demens! VIII, 169: heu nimium secura; VIII, 544: heu . . . servare . . / inconsulta modum et pravo peritura tumore; IX, 424: heu miser; XIII, 866: heu

miseri! Pers. V, 75: heu steriles veri . . . Juv. II, 159: heu miseri.

δ) rerum

concretarum: Stat silv. II, 1, 50: heu lactea colla; silv. II, 6, 76: heu misero letale favens . . . Sil. Ital. II, 223: heu blandum caeli lumen; V, 190: heu lacrimae; cf. X, 222; IX, 636: heu patria, heu plebes scelerata et prava favoris; XVI, 73: heu dulcia caeli / lumina!

abstractarum: Stat. Ach. I, 25: heu nunquam vana parentum / auguria! Theb. I, 195: heu dubio suspensa metu tolerandaque nullis / aspera sors populis; V, 478: heu iterum gemitus; IX, 878: heu simplex aetas! XI, 616: heu dolor, heu . . . exaudita . . . / vota; XII, 210: heu dolor; Val. Fl. I, 44: heu magni Solis pudor; III, 303: heu divis visa sinistris / regna mihi! VI, 374: heu pudor! Sil. Ital. II, 28: heu caecae mentes tumefactaque corda . . .! IV, 792: heu primae scelerum causae; V, 75: heu vani monitus; V, 190: heu dolor; V, 627: heu belli vecordia; VI, 203: heu genus infandum leti! VII, 57: spes heu fallaces; VIII, 100: heu sacri vatum errores; VIII, 112: heu seri monitus; X, 146: heu barbara virtus! X, 222: heu dolor; X, 390: heu rebus facies inhonora sinistris; XIV, 501: heu puero malesuada rudi nova gloria pugnae! XIV, 606: heu dolor! Mart. VI, 62, 3: heu crudele nefas; X, 50, 5: heu facinus!

heu cum nominativis coniunctum est: (ubi praedicatum supplendum est) Lucan. IV, 382: heu miseri (sc. sunt) qui bella gerunt! Stat. silv. V, 1, 165: heu durus fati tenor! (sc. est) Ach. I, 846: heu simplex nimiumque rudis (sc. est) qui callida dona / Graiorumque dolos variumque ignoret Ulixem! Val. Fl. VI, 45: nescius heu (sc. est) quanti thalamos ascen-

dere monstri / arserit; Sil. Ital. VII, 307: illa senectus / heu (sc. est) fatis quae sola obstat!

heu ante adverbium per parenthesin positum est: Stat. silv. II, 7, 24: felix — heu nimis — et beata tellus, / quae . . . vides . . .

b) cum accusativis: Val. Max. VIII, c. 14 Ext. § 2: Heu me—inquit (sc. Alexander) — miserum, quod ne uno (sc. mundo) quidem adhuc sum potitus; Val. Fl. I, 150: heu miseros nostrum natosque patresque! Sil. Ital. VII, 628: Heu sortem necis. XVI, 344: heu surdas aures! Sen. Phaedr. 898: Quod facinus, heu me, cerno? Phaedr. 997: Hippolytus, heu me, flebili leto occubat. Phaedr. 1173: heu me, quo tuus fugit decor / oculique nostrum sidus? Tro. 681: repellor, heu me! Herc. Oet. 1761: anilis, heu me, recipit Alciden sinus. Octavia 166/9: iaces . . . / Britannice, heu me, nunc levis tantum cinis. — „heu“ ante accusativos rerum solum apud Silium Italicum invenitur.

II. heu cum enuntiatis (nullo casu interiectioni addito) coniungitur:

a) heu ante enuntiata exclamativa: heu quantus (um): Lucan. I, 13: heu, quantum terrae potuit . . . parari; II, 517: heu quanto melius vel caede peracta / parcere Romano potuit fortuna pudori! V, 354: heu quantum fortuna umeris iam pondere fessis / amolitur onus! V, 727: heu quantum mentes dominatur in aequas / iusta Venus; Stat. silv. III, 3, 176: heu quantis lassantem brachia vidi / planctibus; Theb. III, 164: heu quantus furto cruor; Val. Fl. III, 261: heu socii quantis complerunt litora monstris; V, 51: heu quantum Phasis, quantum Aea recessit! Sil. Ital. II, 326: quantum heu, Carthago, donat tibi; II, 455: heu quantum . . . sudabitis, arma, cruore; VI, 286: heu quantis luimus . . . proelia damnis! XIII, 646: heu quantum gemui; XV, 339: heu quanta Hannibalem clarum factura ruina! Phaedr. I, 30, 3: heu quanta nobis instat pernicies! Mart. VII, 47, 3: Redderis heu quanto fatorum munere! XI, 78, 9: heu quantos aestus, quantos patiere labores . . .! Sen. Phaedr. 847: heu, labor quantus fuit;

heu quam: Sen. rh. controv. IX, 2, 10: heu quam dissimiles exitus initiis habes! Sen. Ag. 589: heu quam dulce malum mortalibus additum / vitae dirus amor! Octavia 55: heu quam nefandum prospicit noster timor / scelus; Mart. I, 12, 6: heu quam paene novum porticus ausa nefas!

heu qualis: Stat. silv. V, 3, 217: heu quali confusus gaudia fletu; Theb. IX, 162: heu qualem lapsare in sanguine vidi . . . Sen. Herc. Oet. 1218: heu qualis intus scorpios, quis . . . cancer . . . / urit medullas? Mart. VI, 85, 7: heu qualis pietas, heu quam brevis occidit aetas!

heu qui(s) (= qualis) Sil. Ital. X, 507: heu quis erat! quam non similis . . . Val. Fl. I, 211: heu quaenam aspicio! Val. Fl. I, 744: heu quibus ingreditur factis! II, 217: heu vatem monstris quibus intulit ordo! Mart. IX, 29, 5: Heu quae linguae silet!

heu quotiens: Val. Fl. IV, 378: heu quotiens saxo posuit latus! Sil. Ital. XIII, 667: heu quotiens intrat . . . terror. — Uno loco „heu“ in medio enuntiato exclamativo obviam fit: cf. Val. Fl. I, 172: quis pudor heu nostros tibi tunc audire labores.

b) heu enuntiatis pronuntiativis additur: (ubi aut certa vocabula aut vim totius enuntiati corroborat) pudet heu: Lucan. V, 310: Non pudet heu!, Caesar, soli tibi bella placere; cf. V, 690; Stat. silv. IV, 7, 35; Ach. I, 503; I, 635: pudet heu taedetque fateri; I, 639; II, 63: pudet heu miseretque; Theb. II, 443; VIII, 57; VIII, 626; XII, 384; IX, 389: nec tantae pudet heu! miseretque ruinae . . .? Val. Fl. VII, 43;

Mart. II, 18, 1; XIV, 101, 2; Petronius — 119 v. 19 — „heu" primo loco habet: „heu pudet effari perituraque prodere fata."

Prout „heu" in nuntiato, cui additum est, locum suum habet, ita exempla sequentia disponam:

α) heu primo loco enuntiati exstat: Sen. de benef. VII, 5, 2 (verba poetae cuiusdam, quae Seneca affert, sunt) „heu! frustra magnum alterius spectabis acervum." Stat. silv. V, 5, 74: heu! munera nostra / rideres ingratus adhuc; silv. II, 6, 14: heu! mihi subdo / ipse faces! Theb. V, 478: heu iterum gemitus iterumque novissima nox est! Theb. III, 203: heu dominum insani nihil agnovere Molossi; cf. Theb. IX, 273; Val. Fl. I, 442: heu cinerem . . . maesta relinquet harena! III, 329: heu talem . . . recepi; III, 562: heu sera cientem / auxilia . . . detrahit; IV, 140: heu fuge; VII, 449: heu formae ne crede tuae; Octavia 267: heu! nostra ferro meque perpetuo obruit; Mart. VII, 21, 3: heu! Nero crudelis nullaque invisior umbra / debuit.

β) heu secundo loco enuntiati exstat: Lucan. VI, 303: Dolet heu semperque dolebit, quod . . . Stat. silv. V, 5, 33: iuvat heu, iuvat; silv. V, 5, 62: incitat heu! planctus; Theb. VIII, 512: ipsa heu! comes . . . isses; VIII, 569: Talibus heu! fidens vocat; X, 316: nescius heu! rapitur fatis; X, 722: falleris heu; Val. Fl. II, 294: solvimus heu serum furti scelus; III, 181: deseris heu nemus; III, 272: sumus heu Minyae; III, 325: deseris heu; cf. VI, 497; V, 523: nunc heu! sua prodita Grais / regna fremit; VII, 338: occidis heu; Sil. Ital. V, 154: meus, heu! meus . . . / . . . frater . . . iacet! VIII, 303: piget heu taedetque senectae; XII, 101: nescius heu planctu duxit moderante volatus; Mart. I, 3, 3: nescis, heu, nescis; X, 13, 8: madet heu! lacrimis ianua.

et nunc heu: Stat. silv. II, 1, 26: et nunc heu! vittis et frontis honore soluto / infaustus vates . . . plango; Theb. XII, 80: et nunc heu, quae digna tibi sollemnia . . . / largiar . . .? at nunc heu: Stat. silv. V, 4, 14: at nunc heu! si aliquis longa sub nocte . . . / ultro te, Somne, repellit, / inde veni.

γ) heu in medio enuntiato exstat: Stat. silv. I, 4, 60: tunc deus . . . / respicit heu! tanti pridem securus alumni; Theb. V, 227: flet . . . Lycaste / . . . heu similes perituro in corpore vultus / aspiciens; V, 738: Et puer heu! nostri signatus nomine fati; VIII, 145: Vidi . . . / . . . ruentum / illum heu, praesagis quo nullus amicior astris, / Oecliden; IX, 273: desiluit . . . Agenor / heu! miser; Val. Fl. I, 287: soror Aeoliden . . . / deserit, heu, saevae nequiquam erepta novercae; VII, 107: visus et heu! miserae tunc pulchrior hospes amanti / discedens; Sil. Ital. I, 395: agitabat Hiberus, / felix heu nemorum; I, 416: tu quoque . . . / heu frustra reditum sortes tibi saepe locutas / . . . increpitans, occumbis; II, 232: vel si cunctos metus . . . in urbem / heu deforme! rapit, . . . IV, 702: At Poenus . . . / . . . statuit . . . aras / nescius heu, quanto . . . IV, 786: Interea tibi prima domus . . . / heu gremio in patriae Stygias raptatur ad aras! XI, 6: certavere . . . Poeno, / heu nimium faciles laesis diffidere rebus; XI, 378: Libycis dimittitur oris / heu Decius; XIII, 823: non datur, heu tibi, Roma, nec est, quod malle deceret, / hanc laudem retinere diu; Sen. Herc. Oet. 123: stamus nec patriae messibus heu! locus / at silvis dabitur.

heu sententiis secundariis immissum est: Lucan. VIII, 604: Disponis gladios, ne quo non fiat in orbe, / heu! facinus civile tibi; Stat. Theb. II, 517: donec de rupe cruenta / heu! simili deprensa viro . . . adfligeret alvum; Val. Fl. V, 686: donec . . . post longa senectae / exilia heu! . . . / nata

iuvet; VII, 343: qui rogat heu! nostro quam primam in litore vidit; Sen. Med. 649: quod crimen expiavit / Herculi magno puer inrepertus, / raptus, heu! tutas puer inter undas.

heu ante enuntiatum condicionale positum est: Stat. Theb. XII, 216: heu si nudus adhuc, heu si iam forte sepultus: / nostrum utrumque nefas.

c) heu cum enuntiatis interrogativis coniunctum est: Stat. silv. III, 5, 44: heu ubi nota fides totque explorata per usus / qua . . . aequas? Theb. V, 350: heu ubi nunc furiae? cf. V, 613; VIII, 174; IX, 385: heu ubinam ille frequens . . . / ambitus? XII, 328: heu quid ago? Val. Fl. I, 71: heu quid agat? cf. VII, 309 et VIII, 370; III, 292: heu quibus adsum / colloquiis? Sil. Ital. VIII, 83: heu cur non idem mihi tum! — rogus? XI, 74: „heu . . . portantes talia dicta / . . . durastis — ait (sc. Torquatus) — succedere muris?“ Sen. Herc. Oet. 1595: heu quid hoc? Octavia 632: heu quo labor, quo vota ceciderunt mea? Octavia 738: heu quid minantur inferum manes mihi . . .?

heu enuntiatis interrogativis immissum est: Stat. Ach. I, 935: Quid precer, heu! timeamve prius? Theb. VII, 188: quid heu tantum . . . offenderis . . .? X, 888: ubi . . . manus, meaque heu cunabula flammae, / fulmen, io ubi fulmen? Sil. Ital. IV, 403: Quis vos heu vobis pavor abstulit? XII, 75: tene heu Cumanus . . . / agger murusque tenet . . .?

d) heu enuntiatis optativis additum est: Stat. Theb. III, 609: heu pudeat! Val. Fl. I, 811: haec noster de rege piacula sanguis / sumat et heu! iunctae, quas misit in aequora, gentes! VII, 199: si tibi . . . / mater et heu, siqua est, posset succurrere coniunx!

heu, heu: Hanc formulam, quae apud poetas priscos uno loco: Plaut. Pseud. 1323 — exstat et apud poetas Augusto aequales: Hor. carm. I, 15, 9; epod. 15_{23}; carm. IV, 6, 17; Verg. ecl. 2, 58 et 3, 100 occurrit, in latinitate argentea his locis inveni: Petron. 44, 12: heu, heu, quotidie peius. 64, 3: heu, heu, abistis dulcis caricae . . . heu, eheu: Petron. 42, 3: heu eheu, utres inflati ambulamus.

c) vocales, quae nasali — n corroborantur: **ēn!**

De interiectione demonstrativa ēn (= siehe da!) multa verba facere necesse non est, quod eam ex lingua graeca (= ἤν) sumptam esse perspicuum est. (v. Fick vergl. Wörterb. I[4], 6, 366 et Lindsay-Nohl l. c. pg. 708). Sed dubito, num Stowasserus (Arch. f. lat. Lexikogr. u. Gramm. XII [1902] pg. 415 sq.)[1]) iure tres notiones diversas vocis ēn (demonstrativam, interrogativam, hortativam) discreverit. Equidem puto ubique eandem particulam graecam agnoscendam esse, et alias originationes (en interrogatiovum = est-ne, ēn hortativum = eis-ne) reicere non cunctor, praesertim cum mihi ēn etiam in enuntiatis interrogativis et hortativis nihil aliud nisi particula demonstrativa, quae attentionem audientis vel legentis efficiat, esse videatur. Cum poetae comici prisci interiectionem latinam „em“ (= imperativus verbi „emere“[2]) praeferant, et formam ēn non nisi in interrogationibus rhetoricis adhibeant (cf. Lindsay-Nohl l. c. pg. 708), scriptores bonae aetatis et posteriores pro illa semper voce graeca utuntur. — Quod ad structuram

1) cf. Ribbeck: Beitr. z. Lehre von d. lat. Part. pg. 24 et Walde: lat. etym. Wörterbuch[2] pg. 254.

2) cf. Stowasser: Zeitschr. f. österr. Gymn. XLI, 1087 et Skutsch: Forsch. z. lat. Gr. I, 57; Arch. f. lat. Lexikogr. u. Gramm. XI, 429; Philol. LIX, 493 sq. (v. Walde l. c. pg. 252).

huius voculae attinet, „ēn" in latinitate prisca et aurea cum accusativo sequenti, postea autem (cf. Tac. ann. 1, 65) etiam cum nominativo coniungitur (v. Schmalz in Antibarbaro [7]). En autem non modo cum casibus coniungitur, sed etiam — ut iam supra dixi — totis enuntiatis attribuitur. Interdum ēn pro toto enuntiato positum tantam vim demonstrativam habet, ut continuo sententiae relativae sequantur (v. infra). — De collocatione interiectionis dicendum est apud Ciceronem (cf. orationes) „ēn" semper primo loco, apud Sallustium, Livium, alios etiam secundo loco enuntiati (ubi vocem antecedentem corroborat) inveniri (cf. A. Köhler: Arch. f. lat. Lexikogr. u. Gramm. VI pg. 25—45, VIII. pg. 221 — 234, XII pg. 414)

I. ē n c u m c a s i b u s c o n i u n g i t u r:

1. c u m n o m i n a t i v i s: (interdum dubium esse potest, utrum nominativus an accusativus positus sit: sed cum accusativus hac aetate perraro occurrat, locis dubiis nominativum esse conieci). S e n. r h. controv. I, 2, 18 (v. 15): „en — inquit — arma, quae nescis tenere pro pudicitia". T a c. ann. I, 65: clamitans „en Varus eodemque iterum fato vinctae legiones!" ann. II, 37: en stirps et progenies . . . L u c a n. V, 277: En improba vota! VIII, 50: En ratis, ad vestros quae tendit carbasa portus! S t a t. silv. II, 6, 34: procul en cunctis puerisque virisque / pulchrior et tantum domino minor! Theb. XI, 470: en mortale genus! XII, 302: En locus officio! V a l. F l. III, 510: en labor, en odiis caput insuperabile nostris! IV, 209: Neptuni en domus! IV, 757: „hic tibi Pollux / en" — ait — „inliso solvit cui pectore poenas." S i l. I t a l. XI, 252: en dextra! en foedus! XII, 239: en Paulus! XVII, 7: en nomen melius maiusque triumphis! S e n. Phaedr. 826: en scelera! Oed. 1013: matris, en matris sonus! Herc. Oet. 1612: en domita omnia! P h a e d r. I, 9, 8: mortis en solacium! App. 29, 7: en cuncta! — P e r s. I, 26: en pallor seniumque.

2. c u m a c c u s a t i v i s: Quamquam „en" post aetatem auream semper fere cum nominativis construi iam supra commemoravi, tamen apud aetatis argenteae scriptores duos locos, quibus accusativus occurrit, inveni: S e n. r h. controv. I, 7, 1: „en eum, qui manus meas confugit." (sed hoc exemplum nullius momenti est, cum coniectura sit et traditio corrupta sit.) I u v. I, 2, 72: en habitum, quo te leges ac iura ferentem / . . . populus modo victor et illud / montanum . . . audiret vulgus.

II. e n i n ẹ n u n t i a t i s p r o n u n t i a t i v i s (ubi is qui loquitur, ad aliquid maxime considerandum cum gravitate convocat):

a) p r i m o l o c o e n u n t i a t i: S e n. r h. suas. II, 1: en loco tuti sumus; S e n. de const. sap. 6, 4: en adsum hoc vobis probaturus; ep. 80, 7: (ubi Seneca histrionem haec verba dicentem facit: „en impero Argis"). T a c. hist. IV, 32: en ego praefectus unius cohortis et Canninefates . . .exscidimus; L u c a n. I, 201: en adsum victor; IV, 276: en sibi vilis adest invisa luce iuventus; IV, 659: En veteris cernis vestigia valli; V, 37: En totis viribus orbis / Hesperiam pensant superi; S t a t. silv. IV, 3, 121: en! et colla rotat; IV, 3, 128: en! hic est deus; IV, 4, 51: en egomet somnum et geniale secutus / litus . . . adcanto; IV, 8, 43: en hilaris circumstat turba tuorum; V, 2, 173: en! ingens reserat tibi limen honorum / Caesar; V; 5, 29; en taxea marcet / silva comis; Ach. I, 66: En aliud furto scelus et spolia hospita portans / navigat . . . arbiter Idae; Ach. I, 533: en! fluxae veniunt in pectora vestes; Theb. IV, 396: En urges; IV, 587: en video; V, 141: en validis spumant eversa lacertis / aequora; VI, 150: en! quam ferale putemus / abiurasse sacrum . . . / . . . haec illa . . . abiecit; VII, 159:

en iterum . . . refers incendia; IX, 653: en ipse . . . / . . . vidi; IX, 828: en etiam donat; X, 354: en . . . venit aspera mater; X, 428: en rogat ipse tacentis / vultus; X, 903: en cineres . . . tenentur; XI, 608: En habeo gemitus; XII, 439: en clipei fragmen . . . nosco; Val. Fl. III, 178: en frigidus orbes / purpureos iam somnus obit; III, 536: en Haemonia puer adpulit alno; III, 670: en ego eo quocumque voles; VII, 546: en vocor en ultro; cf. V, 645; Sil. Ital. IV, 502: en omnes Latiae . . . / convenere manus; VIII, 239: en, numen patrium spondet; X, 113: en — medias hasta velox praetervolat auras; X, 119: en, reddo tua tela tibi; Calp. Sic. VII, 43; III, 26; VII, 43; Sen. Med. 995: en ipsa tecti parte praecipiti imminet; Phaedr. 601: en locus ab omni liber arbitrio vacat; Phaedr. 81: en, diva, faves; Phaedr. 666: en supplex iacet; cf. 707, 728, 834; Herc. fur. 961: en ultro vocat / omnis deorum coetus; Herc. fur. 1002, 1082, 1172 (en nudus asto); Tro. 15; Oed. 1053; Ag. 5, 198, 778, 879; Thy. 120; Herc. Oet. 484, 1433; Octavia 235: en ipse . . . / polluitur aether; 343: en, ut merui, ferar ad manes; 669: en illuxit suspecta diu / . . . dies; Phaedr. III, 11, 4: En . . . hoc unumst; V, 5, 38: En hic declarat; Mart. II, 69, 7: en rogat ad cenam Melior te; Petron. 120 v. 90: en etiam mea regna petunt.

β) secundo loco enuntiati: Lucan. II, 556: valet en! torquendo dextera pilo; IV, 809: Libycas en nobile corpus / pascit aves; VII, 740: cunctis en plena metallis / castra patent; Stat. silv. II, 1, 17: lacrimis en et mea carmine in ipso / ora natant; Theb. VII, 278; X, 809: Sponte en; Val. Fl. I, 226: cerno en; III, 415: movet en; V, 315: adsumus en; VIII, 60: ipsius en oculos . . . / aspicis; Sil. Ital. V, 634: vos en . . . / ducitis Hannibalem; XI, 570: nunc en, nunc, inquam, . . . / haud procul est funesta dies; XIII, 77: foederis en, haec testis erit; Calp. Sic. VII, 47: balteus en gemmis, en

illita porticus auro / certatim radiant; Sen. Med. 966: pectus en; Phaedr. 54: ades en; 91: profugus en coniunx abest; 384: sed en patescunt; 1252: munere en patrio fruor; 1025: totum en mare / immugit; Herc. fur. 944: primus en; 1296: hoc en peremptus spiculo cecidit puer; Oed. 360: ac / en capita . . . consurgunt; 797: tangis en; 912: maestus en famulus . . . / . . . quassat; 952: subitus en vultus gravat / profusus imber; Thy. 1050: genitor en natos premo; Octavia 72: vox en . . . perculit aures; 683: gravis en oculis . . . nostris / iam Poppaeae fulget imago; 908: hac en cuius vecta carina / quondam genetrix, nunc . . . vehar; Mart. VI, 85, 1: editur en sextus; VIII, 66, 3: iubet en.

antecedunt substantiva: 8 ies.
" adiectiva: 8 ies (numerale: semel; participium: semel).
" pronomina: 6 ies.
" adverbia: bis.
" verba: 10 ies. sed en: bis. — ac en: semel.

γ) in medio enuntiato: Val. Fl. I, 524: videt . . . nepotos / en teneros; VI, 274: ad soceros pactaeque sinus en coniugis . . . / . . . fugis; Sil. Ital. II, 679: ad manes, en, ipsa fero; Sen. Ag. 188: nec rapere puduit e sinu avulsam viri / — en Paridis hostem; Phaedr. 655: tuusque (sc. vultus) potius — talis en talis fuit / cum placuit hosti; Tro. 58: sortitur urna praedaque en vilis sequar; Mart. VIII, 66, 3: iubet en redire fusces.

III. en ante enuntiata exclamativa: Val. Max. VII, 6 Ext. § 3: En quam aliquis in acie hortaretur, ut . . . IX, 2, 1: En quibus actis felicitatis cognomen adsequendum putavit! IX, 12, 3: En cui Numantia aut Carthago excidenda traderetur! Lucan. VI, 51: En quantum Tigris, quantum celer ambit Orontes;

Sil. Ital. VII, 152: en, quotiens . . . / discinxit . . . dolos; XIII, 840: en quantum resonat . . . / armiger . . .! Sen. Herc. Oet. 1721: en nostros manus / quae tendat arcus! Mart. I, 82, 3: en quanto iacet absoluta casu: Petron. 115, 10: en homo quemadmodum natat!

IV. en in interrogationibus: Stat. Theb. IX, 514: en meus Hippomedon . . . ibit. . .? Val. Fl. III, 514: en ego nunc regum soror? VII, 442: en ubi Juno, ubi . . . Tritonia . . .? Sil. Ital. VII, 106: en, ubi nunc Grachi atque ubi nunc sunt fulmina . . .? IX, 564: Quaenam Furiae quisve egit in hostem, / en, Minuci, deus, ut . . . / auderes? VI, 87: Estis ubi en iterum, superi? XVI, 75: Tanta, en, qui regna reposcant, / . . . servitio si tam faciles, cur bella refertis? XVI, 91: en umquam lucebit in orbe / ille dies . . .? Sen. Phaedr. 684: dignus en stupris ego? Mart. IX, 23, 3: Aspicis en domini fulgentes marmore vultus? Pers. III, 5: en quid agis? cf. V, 154; Calp. Sic. VI, 32: en aspicis illum / . . . cervum?

V. en in enuntiatis imperativis: Stat. Theb. V, 124: en cernite; Val. Fl. III, 169: occumbens en duc . . . Herculis armis / donum ingens; VI, 461: hoc en iam magis adnue vera fatenti; Sil. Ital. II, 505: en, aspice gentes! IV, 281: disce en nunc; V, 672: Hos en, hos obitus nostrae spectate cohortes! VII, 192: en cape; XI, 580: dic, en; XII, 45: En, qui . . . / . . . iactastis, . . . intrate. en age: Sil. Ital. III, 179: En age . . . / fer gressus; IV, 70: En age . . . / . . . discat (ubi cum coninunctivo optativo coniunctum est.) cf. XV, 444. Sen. Phaedr. 412: Hecate triformis, en ades coeptis favens; Phaedr. 599: en incipe, anime! 945: En perage donum triste: 1273: en haec suprema dona genitoris cape; Tro. 507: en intuere; Oed. 975: parcite en patriae; Herc. Oet. 1233: en cernite, urbes, cernite; Pers. V, 134: en saperdas advehe Ponto. (Cum

temporibus prioribus modo iunctura „en age“ inveniatur, aetate argentea usus liberior est: en cum aliis quoque imperativis coniungitur.)

VI. en cum sententia relativa sequenti coniungitur: (ubi ēn toto enuntiato principali fungitur.) = siehe da ist, sind. Stat. Theb. XII, 690: en iterum, qui moenia nostra lacessant! Sil. Ital. I, 478: En, qui . . . retardet; VI, 516: En, qui se iactat; XI, 236: en, qui divum mihi munera tanta / eripiat; Val. Fl. VI, 267: en cunius thalamis Aeetia virgo / dicta manet nostrosque feret qui victor amores; Octavia 41: en qui Britannis primus imposuit iugum.

B.) interiectiones, quae ex vocali et consonante compositae sunt:

a) interiectiones monosyllabae:

1) heus!

heus! — qua voce in sermone cotidiano alter alterum acclamat. — grammaticis veteribus, velut Prisciano (II, 65_{14}; 138_{13}; 197_{16} H.), Servio, Pompeio, Diomedi, aliis non vera interiectio esse videtur, quia per se adfectum animi non significet neque ut aliae absolute exclametur, sed semper aut cum vocativis aut cum accusativis coniungatur. Alii grammatici[1]) „heus“ et interiectionem et adverbium esse existimant. Richterus (progr. Hag. pg. 17) notionem huius vocis sic fere definivit: „haec particula non per se quendam significat animi adfectum, sed vel in scaenam aliquem venire iubet vel in medio colloquio alterum ad intentionem vocat, ut audiat quamobrem vel doleat vel laetetur vel quaelibet sentiat alter: idem igitur fere valet, quod nostratium „heda“ vel „hör mal“! Itaque „heus“ in interiectionibus numerare non dubito. „heus“, a poetis comicis, qui sermonem vulgi

1) cf. P. Richter: in Studemundi stud. I, 2 vg. 566 sq.

alacrem imitantur, saepissime adhibitum, a poetis posterioribus fere evitatur: apud poetas Augusto aequales, qui locutionem elegantem sectantur et ista vulgaria repudiant, non nisi sexies occurrit. Interiectio et cum vocativis (cf. formulam usitatissimam „heus tu") et cum enuntiatis coniungitur.

I. heus vocativos praecedit:

α) formula „heus tu" bis occurrit: (ubi heus improbantis est.) Plin. min. ep. I, 15, 1: Heus tu, promittis ad cenam nec venis! IX, 12, 1: Huic ego iuvene digresso: „Heus tu, numquamne fecisti, quod a patre corripi posset?"

β) heus vocativos nominum appellativorum praecedit: Quint. 6, 3, 90: C. Cassius qui militi sine gladio decurrenti: „heus commilito, pugno bene uteris" inquit. Stat. Theb. II, 622: heus socii, nullaene manus, nulla arma valebunt?

γ) heus vocativos adiectivorum praecedit: Phaedr. III, 14, 6: „heus — inquit — sapiens, expedi, quid fecerim! Pers. III, 94: heus bone, tu palles.

II. heus enuntiata praecedit:

α) enuntiata imperativa: Val. Fl. IV, 387: heus respice cantus! Pers. II, 17: heus age responde;

β) enuntiata interrogativa: Phaedr. I, 23, 5: Heus — inquit — linguam vis meam praecludere? Sil. Ital. VII, 301: Heus — inquit . . . / — quae te cura . . . fatigat?

III. heus semel absolute positum est: Phaedr. II, 5, 21: Heus! inquit dominus.

2) vae!

Interiectio „vae", quae apud poetas priscos usitatissima est, a recentioribus rarissime adhibetur, velut apud poetas Augusto aequales (cf. Richter progr. Hag. pg.

25) non nisi sex locis exstat. (binis Catullianis et Ovidianis, semel apud Vergilium et Horatium.) „vae" semper fere — si modo cum casibus coniungitur — cum dativis (= dativus incommodi) construitur, idque maxime cum dativis pronominum personalium (vae mihi, tibi), quae formulae a poetis comicis imprimis praefe. runtur.[1]) Accusativus pronominis post „vae" duobus locis positus est: cf. Plaut. Asin. 481, ubi legimus: „Vae te! Tibi quidem de nobis, carnufex, detur supplicium?" Loco Catulliano (Cat. 8, 15) „vae te", quamquam ex coniectura in contextum susceptum est, tamen mihi correctura palmaris esse videtur; nam „ne te", quod codices praebent, sensu caret; praeterea „vae" et „ne" a librariis facile commutari possunt. Itaque „vae te" et hoc loco (omnes editores Catulli „vae" receperunt) et illo loco Plautino contra Richterum (cf. progr. Hag. pg. 25) retinendum esse puto, praesestim cum hic usus novo exemplo ex latinitate argentea sumpto (Sen. de morte Claudii 4, v. infra.) commendetur. — Sed cum prisci „vae" semper cum casibus coniungant, postea interiectio etiam sine casu sequenti enuntiatis additur (cf. Verg. ecl. 9, 28 Hor. carm. 1, 13, 3). De notione P. Richterus[2]) nonnulla explicavit, ad quae nihil adiciendum est („vae" minantis est). Denique commemoro ex vae latino graecum „*οὐαί*", quod in Novo Testamento et in LXX, saepius etiam apud Arrianum obviam fit, sumptum esse. (Praeterea cf. indogerm. „wai"; got. „wai"; lett. „wai".)

Aetate argentea „vae" his locis offertur:

I. vae cum dativo sequenti: vae tibi: Mart. II, 60, 3: vae tibi, dum ludis, castrabere; IV, 28, 7: Vae glabraria, vae tibi misella! V, 33, 2: si sciero, vae tibi, causidice.

---

1) de formula „vae victis" cf. Neue-Wagener³ II pg. 985.
2) Studemundi stud. I, 2 pg. 631 sq.

II. vae cum accusativo sequenti: Sen. de morte Claudi 4, 3: vae me!

III. vae nullo casu dependente absolute positum est: Pers. VI, 50: vae, nisi conives.

3) pax!

De hac interiectione perrara cf. P. Richter in Studemundi stud. I, 2 pg. 613 sq. Origo graeca voculae iam a Prisciano (III. pg. 29, 26 et pg. 79, 1) statuitur (=πάξ), ubi addit hanc vocem graecam significare „tantummodo". Apud Graecos πάξ invenitur: in fragmento Diphili ab Athenaeo (II. 67 D) servato et apud Hesychium III pg. 268 (ed. Schmidt), ubi per „τέλος ἔχει" explicatur. cf. Lobeck: Aglaophamus pg. 775 sq. Fr. Ritschelius interiectioni originem latinam tribuit et „pax" cum „pacis" cogitatione cohaerere censet (cf. opusc. II pg. 254). Interiectio ter apud Plautum, semel apud Terentium occurrit. Apud poetas optimae aetais nusquam invenitur; in latinitate argentea autem unico loco — apud Petronium 66, 20 — inveni, ubi legimus: „in summo habuimus caseum mollem ex sapa et cocleas singulas et cordae frusta . . . et catillum concacatum. pax Palamedes." Enarratio igitur verbis „pax Palamedes" subito intercipitur; et Friedlaenderus in editione cenae Trimalchionis optime vertit: „Punktum Palamedes". Itaque ista Ritschelii explicatio (= pax, cis) retineri non potest, sed „pax" sonus naturalis est; et concentus congruens huius interiectionis et substantivi „pax, cis" fortuitus est. De vi nominis „Palamedes", quod voci „pax" additum est, cf. ea, quae Friedlaenderus ad hunc Petronii locum adnotavit, et Buecheleri Coniectanea. Rh. Mus. XLVI (1891) pg. 329.

4) vah!

De formis interiectionis diversis — pleniore „vaha" et breviore „vah" — P. Richterus (Studemundi stud. I, 2 pg. 635 sq.) satis diffuse egit et demonstravit, Plautum et Terentium semper monosyllaba (quam metrum et fides librorum optimorum confirmant) usos esse et omnibus locis ceteris lectionem — incuria librariorum — depravatam esse. Sed formam „vaha", ex qua „vah" per apocopam fictum esse Priscianus (I, 19, 26 et I, 48, 23 H.) censet, apud Latinos in usu fuisse, exemplo Afranii (39) — quod Priscianus affert — comprobatur; postea autem haec in libris non iam scripta est. — Varios affectus, qui hac exclamatione exprimi possunt, Richterus (l. c. pg. 636 sq.) enumeravit: dolentis, irati, gaudentis, formidantis, irridentis, improbantis, mirantis est. Apud poetas aureae aetatis „vah" non occurrit; in latinitate argentea semel invenitur: Petron. 58, 12: „vah, bella res est volpis uda;" ubi irridentis est. Friedlaenderus — in editione cenae Trimalchionis — sic vertit: ei! ein nettes Ding, so ein begossener Hund!

5) ne!

Interiectio „ne" — quae ex lingua graeca (= νή — ναί) in latinam translata est, affirmationem gravissimam significat. Quod ad scripturam falsam „nae" attinet, Handius — in Tursell. IV pg. 23 — dicit: „Veteres haec vocabula (i. e. particulam prohibitivam et interiectionem affirmativam) pronuntiatione, non scriptura distinguebant." Praetera cf. Landgraf ad Cic. S. Rosc. pg. 231, qui dicit Laurentium Vallam hanc scripturam falsam, quae in multis fidei minoris codicibus inveniatur, induxisse. Plerumque „ne" in enuntiatis pronuntiativis exstat (persaepe — sententia causali vel condicionali praecedente vel sequente — in conclusione adhibetur), sed interdum etiam votis et coniecturis additur. (cf. Cic. Brut. 71, 249: ne ego velim tibi eum placere quam maxime.) Tum usus „ne" cum pronominibus personalibus et monstrativis coniuncti (ne ego, tu, ille, iste) omnibus temporibus communis est. (apud Plautum,

Terentium, Ciceronem, Livium, Sallustium, Plinium mm. invenitur.)[1]) Praeterea, si miranti et quaerenti „egone"? respondetur, interiectio „ne" pronomini postponitur: cf. Plaut. Stich. 635 (egone? tune); Epid. 575, saepius. Apud priscos — ubi „ne" satis saepe occurrit — etiam aliae particulae affirmativae (hercle, edepol, mecastor) adiciuntur: cf. Plaut. Men. 160. 908. (v. Lorenz ad Most. 955 et Brix ad Trin. 634.) Similiter Cicero, qui „ne" in orationibus ter, in libris philosophis tredecies adhibuit, semel — ad Att. 4, 4a, 2 — „ne" cum „medius fidius" coniunxit. Interiectio cum ad totam sententiam attineat, semper fere primo loco ponitur, sed etiam aliis locis enuntiati occurrit. (cf. Plaut. Trin. 634) — Aetate argentea formulam „o ne" cum pronomine personali coniunctam quattuor locis Senecae philosophi videmus: Sen. benef. V, 4, 4: o ne ille tunc merito . . . eminere visus est; de benef. VII, 27, 2: o ne tu nimis . . . oblitus es; ep. IV, 30, 12: o ne illum agere gratias . . . decet; de clem. I, 19. 8: o ne ille (sc. est), cui contigit. (interrogatio antecedit.) — Alia exempla sunt: Plin. ep. VII, 12, 6: Ne tu, cum hoc legeris, non partes libelli, sed totum libellum improbabis; paneg. 27, 2: ne ille idem brevi tempore effecerit, ut omnes . . . paeniteat; paneg. 16, 5: Quodsi quis barbarus rex . . . processerit, . . . ne ille . . . omnia haec tam prona tamque cedentia virtutibus tuis sentiet. Unum exemplum est, ubi „ne" sine pronomine in enuntiato exstat: Sen. de benef. I, 15, 2: Quare siquis existimat . . ., ne perperam monitiones nosras exaudit. Denique locum dubium — Plin. paneg. 70, 9 — afferam, ubi traditum est: „ne suffragiis consularium virorum urbes, populi, gentes inserantur". Lipsius hic correxit: „bene suffragiis . . . inseruntur", quae correctura ab omnibus editoribus (etiam editor

1) sed loci non desunt, quibus pronomina non sequantur: fc. Cic. pro Font 6, 11, saepius apud comicos.

recentissimus Guil. Ad. Baehrens [cf. eius dissertationem Groningensem anni 1910[1])] „bene" in contextu scripsit) recepta est. Mihi quoque haec correctura necessaria esse videtur.

6) pro!

De huius vocis obscurae origine Richterus — in Studemundi stud. I, 2 pg. 615 — nonnulla disputavit; sed quamquam Handii rationem (hic enim — Tursell. IV pg. 571/2 — dicit: „accessisse enim videtur ad exclamationem o ille sonus pr, quo homines obstupefacti et indignabundi utuntur") et Doederlinii, qui censet pro ex „per o" ortum esse, vituperat, tamen nihil suppeditat, unde pro ductum esse possit. W. Corssenus („Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lat. Sprache."[2] Leipzig 1868. I. pg. 201 sq.) putat „pro" formam ablativi stirpis latinae „pro" (pra) esse, et cum hac forma confert formas: pra = vor! ex lingua Sanskrita, πρὸ ex lingua graeca, fru ex lingua gothica. (cf. Fickii: vgl. Wörterbuch. pars I pg. 485) A. Waldius (etymol. Wörterbuch s. v. pro) et Lindsayus — Nohlus (l. c. pg. 709 sq.) nihil dicunt nisi „pro" adverbium esse et verbis germanicis „fort damit!" verti posse. Utique mihi constare videtur, interiectionem „pro" cum praepositione non cohaerere (ut prisci grammatici: Charis. 235, 7, Prisc. II, 49, 24 et II, 91, 12 voluerunt); et cum conatus recentiorum etymologici perdubii sint, „pro" aut sonum naturalem aut vocabulum mutilatum, quod vim interiectionis induerit, esse probabile est. De notionibus vocis variis, Richteri verba sequamur: „Adfectus animi, e quibus pro exclamatio oritur, sunt gaudentis, mirantis, querentis, irati, indignantis. . ." Sed notio gaudentis, quae nonnullis locis Plauti et uno loco Terentii (cf. Richter in Studemundi stud. I, 2 pg. 618) in „pro" inesse

1) „Panegyricorum latinorum editionis novae praefatio maior. accedit Plinii panegyricus exemplar editionis."

videtur, postea aliis notionibus (mirantis, stupentis, indignantis, querentis) plane expellitur. Interiectio apud priscos semper aut cum vocativis (sc. nominum deorum: cf. „pro Juppiter“ „pro di immortales“) aut cum accusativis (cf. formulam „pro deum fidem“ „pro fidem“) coniungitur. Apud poetas aetatis optimae accusativi nullum vestigium est, interdum autem illae priscae formulae, quibus di invocantur, occurrunt: velut „pro Juppiter“ „pro di“ „pro superi“ „pro Venus“ (cf. Richter in progr. Hag. pg. 24), quas Cicero quoque in orationibus saepius (XVII locis) adhibet (sedecies: „pro di immortales“; semel: „pro sancte Juppiter.“), in libris philosophis bis posuit.[1]) Apud Ciceronem etiam „pro“ cum accusativo sequenti undecim locis obviam fit[2]) („pro fidem“ „pro deum [immortilium] fidem“). Aetate argentea usus interiectionis paulo frequentior quam aetate aurea est, atque „pro“ apud hos scriptores cum vocativis, accusativis, enuntiatis coniungitur.

I. pro cum vocativis: a) personarum: α) deorum (cf. illa, quae s. v. „o“ de deorum invocatione dixi). Sen. rh. controv. I, 6, 1: pro di boni, et haec puella hospitio patris excepta est? VII, 1, 15: pro bone Iuppiter, Mithridatem quam non dubium parricidam! VII, 2 (17) 1: pro di boni! IX, 2, 9: pro bone Iuppiter; X, 4, 21: pro di boni! X, 5, 1: pro Iuppiter! Vell. Pat. II, 52, 5: pro di immortales, quod huius voluntatis . . . tam mitis pretium tulit! II, 106, 1: pro di boni, quanti voluminis opera . . . gessimus! Val. Fl. II, 52: quantis, pro Iuppiter, austris / restitimus! III, 697: pro Iuppiter. Sil. Ital. II, 26: pro Iuppiter. II, 331: pro superi; cf. II, 368; VIII, 311; VIII, 666: pro Iuppiter; X, 491: pro superi; XII, 68: pro di. Sen. Phaedr. 903: Pro sancta Pietas, pro gubernator poli / et

1) cf. Hellmuth: Acta Erlangiana I pg. 122.
2) cf. Mergueti lex Cic.

qui . . . regnum moves, / unde ista venit . . . lues? Herc. fur. 516: pro caelestium / rector parensque . . . compesce; Herc. Oet. 290: summe pro rector deum / et clare Titan, Herculis tantum fui / coniunx timentis; Herc. Oet. 1173: pro mundi arbiter / superique quondam dexterae testes meae . . . Herculem vestrum placet / morte ferire? Herc. Oet. 1275: summe pro rector poli (ubi lectiones inter „prospector“ et „protector“ variant; sed cf. Her. fur. 516 et Herc. Oet. 290). Herc. Oet. 1531: quando, pro Titan, ubi, quo sub axe / Herculem in terris alium sequeris? Octavia 245: pro summe genitor.

β) hominum: Stat. Theb. V, 674: quanti pro funeris ultor! Sen. Herc. Oet. 966: pro Nesse fallax (atque semiferi doli!). Herc. Oet. 1364: in ipsa me iactate, pro comites, freta!

b) rerum:

α) concretarum: Stat. Theb. II, 92: Pro gnara nihil mortalia fati / corda sui! Sen. Herc. Oet. 1175: pro cuncta tellus . . . placet / morte ferire? Herc. Oet. 1201: pro ferae, victae ferae! — Sil. Ital. VII, 542: pro lubrica rostra / et vanis fora laeta viris!

β) abstractarum: Sen. rh. suas. VII, 11, 6: pro facinus indignum! Sen. de brevit. vit. 12, 2: nam, pro facinus, ne Romanis quidem vitiis laboramus; de cons. ad Pol. 17, 4: pro pudor imperii; nat. quaest. IVb, 13, 8: pro pudor. Val. Max. IV, 7, 3: Pro magnum et inexuperabile tuum numen, amicitia! Lucan. II, 98: pro fata! IV, 194: pro numine fata sinistro / . . . tantas augentia clades! V, 57: pro tristia fata! cf. VI, 305 et VII, 411; VIII, 597: pro superum pudor; X, 47: pro pudor; cf. X, 77; IV, 96: pro lucri pallida tabes! IV, 231: pro dira pudoris / funera! X, 410: pro fas! Stat. Theb. I, 77: pro dolor; Theb. III, 308: pro vires; III, 370: pro vitae foeda cupido! V, 324: pro dira potestas! V, 718: pro fors et caeca futuri / mens hominum! XII,

382: pro fors ignara! IX, 14: pro furor! IX, 180: pro dura potentia fati! X, 270: pro pudor. cf. X, 874; XI, 655: pro blanda potestas. Val. Fl. II, 291: pro dira lues, pro noctis acerbae / exitium! Sil. Ital. XI, 90: pro cuncta pudendi! XIII, 678: pro barbara numquam / impolluta fides! Sen. Oed. 19: pro misera pietas. Ag. 35: pro nefas! Herc. Oet. 219: pro saeve decor / formaque mortem paritura mihi; Herc. Oet. 965: pro nimis mens credula! 1419: pro lux acerba, pro capax scelerum dies! Octavia 147: pro facinus ingens! Mart. I, 90, 6: pro facinus! II, 46, 8: pro scelus! X, 68, 6: pro pudor! Petron. 81, 5: pro pudor! cf. 123 v. 243.

II. pro cum accusativis: Vell. Pat. II, 25, 3: pro quanti mox belli facem! Sen. Herc. Oet. 770: pro diem, infandum diem!

III. pro ante enuntiata exclamativa: Lucan. III. 73: Pro, si remeasset in urbem, . . . quam seriem rerum longa praemittere pompa, / quas potuit belli facies! III, 241: Pro quanta est gloria genti: Stat. silv. I. 2, 101: pro! quanta est Paphii reverentia! Sil. Ital. XIII, 883: Pro! quanto levius . . . XIV, 505: pro qualis! (sc. est.) cf. VIII, 406.

IV. pro ante enuntiata elliptica (praedicatum deest): Lucan. X, 146: Pro caecus et amens / ambitione furor (sc. est) civilia bella gerenti . . . Sen. Herc. Oet. 1803: pro nimis felix nimis (sc. essem) / si fulminantem et ipsa sensissem Iovem!

V. pro enuntiatis immissum est: Curt. Ruf. IV, 16, 10: Propemodum saeculi res in unum illum diem pro! fortuna cumulavit! (ubi scriptor fortasse formulam „pro fortuna" in memoria habuit.)

b) interiectiones bisyllabae:

1) eheu!

Notio huius interiectionis (cf. Hand. Tursell. II pg. 357 sq.) eadem est ac interiectionis heu (sc. dolentis).

sed „eheu" paulo maiorem vim quam „heu" habet. Apud priscos poetas comicos structura harum interiectionum grammaticalis diversa est: eheu ubique enuntiata antecedit (excepto unico loco: Terent. Hec. 74, ubi ante accusativum est.), heu plerumque cum casibus (accusativo et dativo) coniungitur.[1]) Poetae aetatis optimae, qui hanc interiectionem saepius adhibent, rationem priscorum secuti sunt (modo in Priap. 56, 3 accusativus post „eheu" apparet, et bis „eheu" absolute exclamatur). Cicero in libris philosophis formulam „eheu videte" bis habet: cf. de div. I, 114 et II, 112. Scriptores posteriores structura liberiore quam prisci usi sunt: velut ibi „eheu" ante vocativos et accusativos positum est. (v. infra.)

eheu ante enuntiata interrogativa: Sen. Ag. 868: eheu quid hoc est?

eheu ante enuntiata exclamativa: Stat. Ach. I, 68: Eheu, quos gemitus terris caeloque daturus! (sc. est.) Mart. VIII, 81, 10: eheu quam bene nunc . . . / faceret manus; X, 18, 4: eheu quam fatuae sunt tibi, Roma, togae!

eheu ante enuntiatum pronuntiativum: Petron. 34, 7: eheu, ergo diutius vivit. eheu enuntiato pronuntiativo immissum est: Sil. Ital. XI, 212: Post Paulum . . . componimur eheu / vecordi Decio . . .

eheu ante vocativos: Sen. Phaedr. 868: Eheu, per tui sceptrum imperii, magnanime Theseu . . . permitte mortem. (ubi „eheu" et vocativus formula iurisiurandi „per . . ." dirempta sunt.) Pers. V, 137: eheu / baro, . . . perages . . .; eheu ante accusativos: Petron. 34, 10: eheu nos miseros, quam totus hommuncio nil est!

heu eheu: Petron. 42 (v. supra s. v. „heu").

1) cf. P. Richter in Studemundi stud. I, 2 pg. 435, 438.

2) heia! (eia!)

„heia", quod iam apud priscos non persaepe occurrit, a posterioribus multo rarius adhibetur.[1]) Voculam „heia" (nam haec scriptura praeferenda est) ex graeca „εἶα" ortam esse inter omnes viros doctos constat, etsi sensus et forma interiectionis graecae et latinae non plane consentiunt. Apud Graecos „εἶα" semper adhortantis est et cum imperativis vel interrogationibus coniungitur (saepius in tragoediis et comoediis); apud poetas comicos latinos „heia" aut eius est, qui alterum ob dictum vel factum aliquod reprehendit monetque, aut gaudium vel mirationem significat.[2]) Poetae optimae aetatis, qui usum huius interiectionis quam maxime restrinxerunt, (modo bis apud Horatium, bis apud Vergilium, semel in Copa, quae Vergilio attribuitur, occurrit[3]) notiones particulae priscae subtiliores reiciunt et „heia" — ut Graeci „εἶα" — semper ita adhibent, ut eius sit, qui cessantem impellat; qua in re plerumque cum „age" et imperativis sequentibus coniungitur. Apud scriptores aetatis argenteae hic usus conservatur.

heia in enuntiatis imperativis: Colum. X, v. 68: heia age segnes / pellite nunc somnos. Stat. silv. I, 2, 266: heia age, praeclaros Latio properate nepotes. Ach. I, 508: Heia, inrumpe deos et fata latentia vexa. Theb. XII, 406: heia agite. Val. Fl. VIII, 110: heia, per ipsum / scande age. VIII, 264: heia agite. Sil. Ital. VIII, 214: heia, age, . . . / rumpe moras. Mart. II, 64, 9: heia age, rumpe moras. Pers. V, 132: surge — inquit Avaritia — heia / surge.

heia ante pronomen personale: Plin. ep. IV, 29, 1: Heia tu! . . . nihil est, quod . . . dormias.

1) cf. Richter, in Studemundi stud. I, 2 pg. 538 et progr. Hag. pg. 13.
2) cf. Richter, in Studemundi stud. I, 2 pg. 539—542.
3) cf. Richter, in progr. Hag. pg. 13.

heia absolute positum est: Phaedr. V, 6, 3: Heia! inquit, in commune quodcumquest lucri!

3) euhoe!

De „euhoe", quae est vox bacchantium (graece: εὐοῖ, quod apud poetas tragicos et Aristophanem occurrit) invenies testimonia grammaticorum antiquorum: Prob. inst. art. IV, 146_5, Prisc. II, 91_4 et $_{26-27}$ (qui dicit interiectionem, quae sonitum illitteratum imitetur, vocem primitivam esse), Charis. 241, 3 K. Scriptura „euhoe" (cum interaspiratione) libris grammaticorum et versu fragmenti Enniani (cf. P. Richter in Studemundi stud. I, 2 pg. 529) commendatur. Quod ad usum exclamationis apud priscos poetas attinet, haec vox uno loco — Plaut. Men. 836 — a Ritschelio recte restituta esse videtur. Similes bacchantium soni ut „euhan, euhium" in Ennii fragmento tragico (pg. 28 et 29 ed Ribb.) occurrunt. Apud poetas aetatis Augusteae „euhoe" quattuor locis invenitur, ubique nomine Bacchi addito. (cf. Richter in progr. Hag. pg. 13.) In latinitate argentea particula apud Iuvenalem — sat. 7, 62 — occurrit, ubi legimus: — ◡◡ — satur est, cum dicit Horatius „euhoe". (apud Horatium particula in carm. II, 19, 5 exstat: „euhoe, parce, Liber . . .").

4) euge!

„euge" exclamationem gaudentis (applaudentis) esse et e lingua graeca translatam esse constat. (cf. Hand. Tursell. II pg. 610/11 et Richter, in Studemundi stud. I, 2 pg. 516 sq.) Sed difficultas scripturae opponitur: apud scriptores priscos lectiones „euge" et „eugae" variant; et Richterus ubique apud Plautum et Terentium „eugae" reponendum esse censet, cum haec lectio librorum testimoniis comprobata sit et mensurae concinat. Sed cum ille testimonia certa proferre non possit, puto „euge" optimo iure retinendum esse. Mea quidem sen-

tentia ista librariorum saepissime e et ae confundentium testimonia ad formam „eugae“ probandam non sufficiunt; praeterea forma originalis graeca: εὖγε (cum brevi ĕ) haud facile in latinam: eugae (cum diphthongo ae) transmutari potest, etsi prosodia latina syllabae extremae longa est. Equidem simplex e scribi velim. „Euge“ apud priscos saepius obriam fit (apud Plautum viginti uno, apud Terentium tribus locis) et absolute positum vel cum enuntiatis et adverbiis coniunctum est. Particula cum apud poetas aetatis aureae plane evanuerit, in latinitate argentea rursus revocatur. Quattuor exempla apud Persium, unum apud Martialem inveni: M a r t. II, 27, 3: Effecte! graviter! cito! nequiter! euge! beate! / hoc volui. P e r s. I, 48: sed recti finemque extremumque esse recuso / „euge“ tuum et „belle“. I, 75: euge poeta! I, 111: euge omnes, omnes bene, mirae eritis res. V, 167: euge puer, sapias, dis depellentibus agnam / percute.

5) io!

„io“, quod in oratione concitata varios affectus (imprimis gaudii et luctus) significare potest, apud priscos scaenicos modo uno loco — Plaut. Pseud. 702/03 — pro certo habemus. (cf. Richter in Studemundi stud. I, 2 pg. 583). Poetae aetatis Augusti hac interiectione saepius utuntur, maxime cum di vel homines acclamantur, sive de exultationibus agitur sive magna pericula instant (cf. Richter in progr. Hag. pg. 18). Saepe in formula triumphali „io triumpe“ offertur (apud Horatium, Tibullum, Ovidium). Quomodo scriptores latinitatis argenteae interiectionem adhibeant, nunc exemplis illustrabo:

I. i n t e r i e c t i o g a u d e n t i s (t r i u m p h a n t i s) e s t: P l i n. ep. III, 9, 13: io, io, liber ad te venio. S t a t. silv. I, 4, 1: Estis, io superi, nec inexorabile Clotho / volvit opus. M a r t. VII, 6, 7: Rursus io magnos clamat tibi Roma triumphos / invictusque tua, Caesar, in urbe sonas. VIII, 4, 1: Quantus, io, Latias mundi conventus ad aras / suscipit et solvit pro duce vota suo! XI, 36, 2: Caius hanc lucem gemma mihi Iulius alba / signat, io, votis redditus, ecce meis. (mos Scytharum tangitur, qui diebus faustis lapillum album, diebus infaustis nigrum in pharetram iacere solebant cf. Friedlaender ad Mart. VIII, 45, 2 et O. Iahn ad Pers. 2, 1.) Formula festiva, quae in Saturnalibus exclamabatur, (cf. Friedlaender ad Mart. XI, 2, 5) „i o S a t u r n a l i a“ = hurra! Saturnalien! bis occurrit: M a r t. XI, 2, 5: Clamant ecce mei „io Saturnalia“ versus (cf. CIL IV 2005a). P e t r o n. 58, 2: io Saturnalia, rogo mensis december est?

II. i n t e r i e c t i o v e h e m e n t e r a l i q u i d o p t a n t i s e s t: S t a t. Theb. IV, 678: illum, illum tendite campum / tendite io comites. S i l. I t a l. IV, 799: io coniunx, . . . / . . . huc signa refer.

III. i n t e r i e c t i o l a m e n t a n t i s e s t (p e r t e r r i t i, i m p r o b a n t i s). S t a t. Theb III, 211: io quanti crudele rubebitis amnes! X, 889: (ubi Liber gemit) Fulmen, io ubi fulmen? XI, 391: io patria, o regum incertissima tellus, / nunc certe victoris eris! XI, 607: Vincis io miserum. V a l. F l. I, 221: quantus io tumidis taurorum e naribus ignis! VI, 29: hostis io . . . propinquat. S i l. I t a l. V, 634: quid deinde, quid, oro, / restat, io, profugis? M a r t. V, 25, 3/4: Ecquis io revocat discedentemque reducit? Ecquis io largas pandit amicus opes? XII, 3, 2: Ad populos mitti qui nuper ab urbe solebas, / ibis, io, Romam nunc, peregrine liber / armiferi de gente Tagi (poeta aegre fert, quod non iam Romae versetur). P e t r o n. frg. 38 v. 6: tu famulus meus — inquit — ames cum mille puellas / solus, io solus, dure, iacere potes? (Amor famulum castigat.)

6) ohe!

Utrum haec interiectio — quae a Prisciano (II. pg. 91, $_{26-27}$ H.) inter voces primitivas numeratur, — a graeco ὠή (cf. Aesch. Eumen. 94) derivanda sit necne, iam Richterus (in Studemundi stud. I, 2 pg. 608) dubitat. Quamquam forma et notio particulae graecae et latinae aliae sunt, tamen Romanos hunc quoque sonum a Graecis mutuum sumpsisse conicio. Interaspiratio enim a Romanis saepius pronuntiatus facilioris causa ponitur. (eodem modo in euhoe [εὐοῖ] occurrit); et quod ad mutationem notionis attinet, haec mihi non mira esse videtur, cum significationes omnium fere interiectionum varias et mutabiles esse notum sit. Donatus ad Terent. Phorm. 377 notionem interiectionis latinae sic fere recte definivit: „ohe interiectio est satietatem usque ad fastidium disignans.“ Hoc modo quinque locis Plautinis, quattuor Terentianis offertur. Formula „ohe iam satis est“, quae iam apud Plautum — Cas. 248 et Stich. 734 — et apud Horatium — sat. I. 5, 12 — invenitur, etiam in latinitate argentea bis occurrit: M a r t. IV, 89, 1: ohe iam satis est, ohe libelle. cf. eadem verba: IV, 89, 9.

7) papae!

„Papae“, quod — ut babae — ex sermone graeco (παπαῖ, saepius apud tragicos poetas, ubi maxime dolentis est) sumptum esse elucet, exclamatio admirantis est. cf. Charis. I pg. 239, 2 K.; Diom. ibid. pg. 419, 7; Prob. IV pg. 146, 5. Alia testimonia grammaticorum, quibus significatio mirantis probatur, a Richtero — in Studemundi stud. I, 2 pg. 612 — collecta sunt. Interiectio apud Plautum septem locis certo tradita est, apud Terentium in Eunucho quater occurrit. Nonnullis locis „papae“ non modo admirationem, sed etiam horrorem, ironiam, quin etiam gaudium significat (cf. Richter l. c. pg. 613). Apud poetas aetatis Augusti huius particulae nullum vestigium est, sed aetate argentea apud Persium — sat. V, 79 — unum exemplum indagavi: Ibi — v. 78 sq. — legimus: „verterit hunc dominus, momento turbinis exit / Marcus Dama — papae! Marco spondente recusas / credere tu nummos? Marco sub iudice palles?“ (hoc loco ad adfectum admirationis opprobrium accedere videtur.)

II. v o c e s a r t i c u l a t a e (i. e. formae pronominales, nominales, verbales, quae in usum interiectionum receptae sunt.)

A. f o r m a e p r o n o m i n a l e s:

ecce!

Quamquam permulti viri docti de huius interiectionis originatione egerunt, tamen plurimi conatus illorum mihi perdubii esse videntur. Honoris causa primo loco Handium nomino, qui in Tursell. II pg. 342/3 ecce ex en-ce derivat. Sed hanc assimilationem litterae n (ad ce) verisimilem esse non puto. O. Ribbeckius[1]) censet „ecce“ ex ẹc, quod in ecquis, ecquid, ecquando occurrit et ex indefinito eque contractum esse dicitur, et demonstrativo ce ortum esse. Corssenus[2]) hanc Ribbeckii sententiam refellit, quod particula demonstrativa ce non nisi formis pronominalibus addatur et exclamativum „ec“ = o! ah! ad interiectionis sensum non quadret, et „ecce“ ex „ece“ (= forma locativi, ex stirpe demonstrativa i, quae cum particula ce coniuncta est) consonante c duplicata derivari vult. Stowasserus[3]) ecce ex lingua graeca (= ἔχε) in latinam translatum esse (qua in re graeca affricata

1) „Beiträge z. Lehre von den latein. Partikeln.“ Leipzig 1869. pg. 42/43.

2) „Über Aussprache, Vokalismus und Betonung der lat. Sprache.“ Leipzig 1870. II pg. 635 sq.

3) „Eine zweite Reihe dunkler Wörter.“ Progr. pg. 15 sq.

in latinam mutam duplicatam cc commutata sit) et hunc imperativum separatum a Latinis loco interiectionis usurpari existimat. Albr. Koehlerus[1]) autem partes Corsseni sequitur. Nam inauditum est — ut ille l. c. dicit — verbum graecum (ἔχειν) tali modo totam latinitatem superare posse. Tum enodationem Vaničekii (etym. Wörterbuch I pg. 10) afferam: hic enim putat ecce imperativum esse et referendum esse ad ak radicem, quae idem significet atque videre (oculus); cf. J. Bachium in Studemundi stud. II pg. 387 sq. Denique aliarum derivationum (de hac re cf. Fr. Stolz: Lat. Laut- und Formenlehre[4] pg. 219 Anm. 6) unam dignam esse, quam commemorem, iudico: grammatici Lindsayus-Nohlius[2]) et Sommerus[3]) enim ecce a stirpe pronominali eko — eke (= dieser) derivandum esse existimant, sed quomodo ex his vocibus forma „ecce" orta sit, non dixerunt. Etsi hanc etymologiae disquisitionem solvere neque possum neque volo, tamen mihi Brugmannus.[4]) qui ecce ex ed (= acc. neutr. ad em = eum) + ce ducit, simplicissime et rectissime iudicasse videtur; quam etymologiam Waldius quoque in lexico etymologico praebet et Fr. Stolzius in editionem grammaticae suae recentissimam (München 1910.) recepit. (cf. pg. 219). De interiectionis usu nonnulla invenies apud Schmalzium in Antibarbaro[7] pg. 486, plura apud Albr. Köhlerum in Wölfflinii „Archiv f. lat. Lexikogr. u. Gramm." V (1888) pg. 16—32. „Ecce" ab historicis, a Caesare, ab iis, qui eius commentarios suppleverunt, a Valerio Maximo, Velleio Paterculo, Suetonio

1) v. Wölfflins Archiv f. lat. Lexikographie u. Grammatik. vol. VIII pg. 222

2) „Die lat. Sprache". Leipzig 1897. pg. 708.

3) „Handbuch der lat. Laut- und Formenlehre." Heidelberg 1902. pg. 475.

4) „Die Demonstrativpronomina der indogerm. Sprachen." Abhdlg. d. phil.-hist. Kl. der Kgl. Sächs. Ges. d. Wiss. XXII Nr. VI (Leipzig 1904).

non usurpatur, apud Sallustium (semel), Livium (ter), Tacitum (semel), alios rarissime invenitur, cum usus huius vocis apud poetas (imprimis epicos et dramaticos) late pateat. „Ecce" alacri sermoni cotidiano attribuendum esse, iam Cassiodorius (Patr. Migne LXX, 375) docet; nam ille l. c. dicit: „ecce ostendentis potius est quam loquentis" et ibid. 958: „ut rebus . . . non solum sermo, sed etiam articularis praestaretur ostensio."[1]) Itaque „ecce" saepe in scholis a magistris, qui discipulos docent, a rhetoribus, a viris iuris peritis in argumentationibus adhibetur. Quod ad collocationem particulae exclamativae pertinet, „ecce" in latinitate optima semper fere initio enuntiati vel post „et, atque, nam, sed" positum est. Scriptores posteriores „ecce" liberius in enuntiatis ponunt (post substantiva, verba, quin etiam in medio enuntiato et extremo loco). „Ecce" si absolute cum substantivis coniungitur, in prisca latinitate semper accusativum,[2]) deinde — in aurea et argentea latinitate (cf. Ciceronem, Senecam) — perpaucis locis exceptis nominativum postulat. Accusativus autem, qui sermonis vulgaris est, a Vergilio (bucol. 5, 65) denuo in litteras latinas introducitur et tertio p. Ch. n. saeculo usitatissimus est. Ceterum hi casus — ut iam Handius Tursell. pg. 350 recte observavit — non ab „ecce", sed a subintellecto verbo quodam pendent. Idem Handius — Tursell. II pg. 344 — etiam varias notionis modificationes, quae in ecce animadvertuntur, enumerat: „nam ecce aut simpliciter monstrat rem apparentem aut attentionem excitat et in rem considerandam dirigit, aut rem aliquam animo offert, quae subito ac repente comparuit, aut novum quid et improvisum effert." Iam usum interiectionis apud scriptores argenteae latinitatis illustrabo:

1) cf. C. Sittl: „Die Gebärden der Griechen und Römer." Leipzig 1890. pg. 53/54.

2) cf. Holtze: syntaxis prisc. scr. lat. pg. 280—82.

I. ecce cum casibus nominum absolute coniungitur:

1. cum nominativis:

a) primo loco positum: Sen. rh. controv. II, 1, 4: ecce turba iuvenum; X, 35, 2: ecce altera iniuria. Sen. de provid. 2, 9: ecce spectaculum dignum, ad quod . . ., ecce par deo dignum, vir fortis cum fortuna mala compositus. de tranq. an. 14, 10: ecce in media tempestate tranquillitas, ecce animus aeternitate dignus; ep. I, 9, 19: ecce vir fortis ac strenuus; ep. II, 15, 9: ecce insigne praeceptum; ep. VI, 53, 12: ecce res magna. ep. VIII — XIII, 82, 7: ecce dolor . . . ecce mors; ep. XV, 95, 51: ecce altera quaestio. Plin. ep. IX, 27, 2: Ecce amici cuiusdam orantes obsecrantesque. . . Lucan. II, 507: ecce nefas belli! IX, 601: Ecce parens verus patriae, dignissimus aris. Stat. Theb. II, 249: Ecce metu subito . . . / impulsae mentes excussaque gaudia patri, / et turbata dies; Theb. V, 133: ecce rates; XII, 429: Ecce iterum fratres! Val. Fl. III, 257: ecce levi . . . spargere lumine . . . / orta dies; IV, 22: Ecce puer . . . se tollere visus. Sil. Ital. XVII, 300: ecce manus, quae . . . XVII, 303: ecce aliud fulmen dextrae, quo . . . Sen. Oed. 838: ecce grandaevus senex . . . Phorbas; Ag. 528: ecce alia clades; cf. Herc. Oet. 815. Petron. 119 v. 13: ecce aliae clades. 57, 8: ecce magister tuus. 68, 4: ecce alius ludus. 89 v. 29: ecce alia monstra.

b) ecce postpositum: Stat. Theb. XI, 753: Atque haec ecce tuis tellus habitabilis umbris. Val. Fl. II, 16: metus ecce deum damnataque bello / Pallene.

2. cum accusativis: Sen. rh. controv. VII, 1 (16), 10: ecce navem divinitus armatam!

II. ecce cum plenis enuntiatis conexum est:

a) primo loco positum: Sen. rh. controv. I, 1, 1: Ecce oppressit mors egentem; controv. II, 1, 10: Ecce instructi exercitus . . . manus constiterunt; II, 1, 21: ecce tu quam cito . . . didicisti! II, 1, 27: ecce admonent; cf. II, 1, 30; II, 2, 9: ecce obiurgator nostri quam . . . fertur; cf. II, 7, 7; III, 8; IV, 5 v. 13: ecce tu . . . non credis; IX, 2, 28: Ecce et illud genus cacozeliae est; IX, 3, 11: ecce ego ipse mihi nocui; cf. X, 2, 2; X, 4, 10. Sen. de benef. I, 3, 10: ecce Thalia . . . apud Hesiodum Charis est; de benef. IV, 36, 1: ecce (accipe aliquid) ut doleat tibi . . . (ubi ecce loco totius enuntiati fungitur.) de benef. V, 15, 3: ecce nescioqui . . . clamat; V, 20, 4: ecce . . . dabo; nat. quaest. III, 18, 5: ecce sanguineum putes ventrem; VI, 2, 1: ecce undique timenda nuntio; VI, 25, 3: ecce hic . . . non transcendit Campaniam; de vita beata 27, 1: Ecce Socrates . . . proclamat; de brev. vitae 13, 3: ecce Romanos quoque invasit inane studium; de cons. ad Pol. 2, 2: ecce eum dolorem . . . impressisti; ep. II, 15, 11: ecce hic dies ultimus est; cf. V, 45, 10; V, 49, 1; VI, 56, 1; ep. 80, 2; ep. 83, 7; ep. XIV, 90, 20; Ludus de morte Claudi XI, 1: ecce Juppiter . . . uni Volcano crus fregit. Plin. ep. I, 5, 5: Ecce tibi Regulus . . . inquit; cf. IV, 29, 2; VI, 20, 5. Curt. Ruf. VI, 3, 3: ecce orsi bellum ab Hellesponto . . . Aeolidem servitio . . . exemimus. Lucan. I, 262: Ecce faces belli . . . addunt stimulos; I, 627: ecce videt; IX, 741: ecce subit; cf. IX, 789; IX, 822. Stat. silv. II, 3, 20: ecce citatos / advertit Diana gradus; silv. III, 2, 51; IV, 7, 17: ecce me . . . retinent . . . Baiae; Ach. I, 33: Ecce novam . . . / fert Bellona murum; Theb. II, 613; III, 33; IV, 93; V, 121: ecce animos doceat; V, 650; VI, 802; VII, 474; VII, 816; VIII, 463; VIII, 536; VIII, 625: ecce ego . . . vidi; VIII, 716; X, 160; X, 321; X, 466: Ecce et . . . dux . . . / venerat; X, 897; XII, 349; XII, 789. Sil. Ital. II, 395: Ecce autem . . . / . . . dona ferebant; IV, 763: Ecce autem . . . aderant; VII, 409: Ecce autem . . . / . . .

sulcabat; VII, 732: ecce autem . . . iuventus / . . . ibat; VIII, 71: ecce autem Aeneas . . . / . . . sese . . . ferebat; II, 644: Ecce simul iugulum perfoderat; II, 665: Ecce inter medios . . . furores / . . . fertur; III, 189: Ecce iugis rapiens silvas . . . / . . . stridebat; III, 697: Ecce intrat . . . deus; IV, 493: Ecce aderat . . . / . . . consul; IV, 622: Ecce per adversum . . . / . . . subit implacabilis amnem / Scipio; VI, 174: Ecce e vestibulo . . . / spiritus erumpit; VI, 403: Ecce trahens geminum . . . pignus. / . . . lacerabat amictus; VIII, 412: Ecce inter primos . . . / exultat . . . Nero; VIII, 656: Ecce inter medios belli praesagus . . . / . . . clamoribus implet / miles castra. Alia exempla sunt: IX, 90; X, 260, 415; XII, 637; XIII, 316, 821; XIV, 405; XV, 139; XV, 435, 740; XVI, 28, 496; XVII, 255. Calp. Sic. VI, 28: ecce venit Mnasyllus; IV, 36: ecce nihil . . . sonamus; IV, 127: ecce per illum / . . . nullus obest. Val. Fl. I, 207: ecce sacer . . . Mopsus . . . rotat; I, 484: Ecce . . . / ductor . . . agnoscit. II, 311: ecce procul . . . notant; III, 60; III, 124; V, 13; V, 509; si quis . . . locus, ecce ea Phrixo, crede dari; VI, 386; VII, 22; VII, 210. Sen. Herc. fur. 793: ecce latratu gravi / loca muta terret; Herc. fur. 1298: ecce quam miserum metu / cor palpitat; Herc. fur. 1300: Ecce iam facies scelus; cf. Thy. 918 et Herc. Oet. 1010. Herc. Oet. 254, 1262, 1412, 1762. Phaedr. IV, 1, 11: Ecce aliae plagae congeruntur. Mart. I, 74, 2: Ecce vir est; I, 97, 4; II, 22, 2; II, 69, 8: si vir es, ecce nega; VI, 61, 3; VII, 94, 2; IX, 45, 3: Ecce Promethei rupes . . . / quam prope sunt . . . adeunda; X, 37, 17: Dum loquor, ecce redit; XI, 94, 7; XII, 25, 5. Pers. I, 30: ecce inter pocula quaerunt; I, 69; II, 31; V, 68. Juv. I, 4, 1; I, 5, 67: Ecce alius quanto porrexit murmure panem; I, 5, 166; I, 6, 511. Petron. 114, 9: ecce iam amplexus amantium, iratum dividet mare, ecce iam ratem fluctus evertet; Petron. frg. 52 v. 3; 118, 6; 124 v. 246; frg. 52 v. 7; frg. 52 v. 5; 122 v. 137; 137, 6; 119 v. 27; 38, 4; frg. 48; v. 11; 16, 4; 58, 4: ecce qui de nobis longe venio, late venio?

certae iuncturae sunt: ecce iam. ecce iterum. (v. supra) ecce etiam: cf. Petron. 99, 4; 109, 7; 123 v. 196. ecce autem: (saepe apud Ciceronem et Vergilium, cum ab Ovidio repudietur. cf. A. Köhler: Arch. f. lat. Lexikogr. u. Gramm. V [1888] pg. 18 sq.) cf. Petron. 60, 3; 83, 7. Stat. silv. I, 6, 28; Theb. I, 401; II, 538; IV, 575; V, 335; VII, 271; IX, 86. Val. Fl. I, 686; II, 587; V, 618; VI, 575; VIII, 32. — saepius apud Silium Italicum. (v. supra)

b) secundo loco positum:

α) antecedit substantivum: Stat. Theb. III, 643: deus ecce furentibus obstat / ecce deus. Sil. Ital. XI, 91: Sedes, ecce, vacat; XVI, 665: Hannibali ecce senectus / intremit. Mart. V, 25, 2: Leitus ecce venit; VII, 33, 4: calceus ecce perit; IX, 92, 4: Gaius ecce iacet. Sen. Tro. 57: dominum ecce Priami nuribus . . . legens / sortitur urna. Juv. I, 12, 24: genus ecce aliud discriminis audi. Petron. 107, 6: servitia ecce in frontibus cernitis. antecedit pronomen: Val. Fl. IV, 302: ille / ecce iterum . . . agit.

β) antecedit verbum: Sen. rh. controv. I, 8: Torpent ecce; IX, 4, 3: Tenent ecce; X, 2, 5: Aiunt ecce. Sen. de ira III, 43, 1: venit ecce mors; de brev. vitae 9, 2: clamat ecce. Quint. inst. orat. 6, 1, 43: revocat ecce. Colum. X, 161: Flagitat ecce suos genitrix mitissima foetus. Lucan. IX, 557: Datur ecce loquendi / . . . libertas. Stat. silv. III. 2, 78: fugit ecce; III, 3, 17: tenet ecce; IV, 1, 15: levat ecce; IV, 7, 31: venit ecce; IV, 9, 6: licet ecce; Theb. VI, 754: levat ecce; VII, 65: tremit ecce; VIII, 142: fugere ecce videtur; VIII, 664: licet ecce; XI, 657: iuvat ecce; XII, 773: venit ecce. Val. Fl. II, 214: premit ecce; IV,

565: tremere ecce . . . vides; VI, 741: ruit ecce. Sil. Ital. I, 131: fluit ecce; XIV, 477: Innatat ecce; XVI, 86: vocat ecce. Calp. Sic. VI, 70: dabit ecce sedilia. Sen. Med. 738: sonuit ecce; Herc. fur. 47: effregit ecce; Herc. fur. 1040: stat ecce; cf. Ag. 908; Herc. Oet. 1000: patet ecce; 1277: urit ecce; 1725: vocat ecce . . Phaedr. III, 5, 6: venit ecce dives. Mart. IV, 51, 4: Factus es ecce pedes! XI, 2, 5: Clamant ecce; XIII, 1, 4: Postulat ecce. Juv. I, 2, 129: traditur ecce; III, 8, 203: movet ecce. Petron. 89 v. 48: accumulat ecce; 80, 4: nudo ecce iugulum; 97, 9: praebeo ecce cervicem.

γ) antecedit adiectivum (participium). Stat. silv. V, 5, 8: morientibus ecce lacertis / viscera nostra tenens . . . avellitur; Theb. XII, 141: Squalidus ecce . . . carpit. Val. Fl. VIII, 107: fusum ecce draconis / corpus habes. Sen. Herc. Oet. 1339: reclinis ecce corde anhelante aestuat. Mart. IV, 27, 2: Invidus ecce negat; VII, 36, 5: Horridus ecce sonat . . . Dezember.

antecedunt pronomina (adiectiva) Sen. Herc. Oet. 761: hunc ecce luctum, quem gemis, cuncti gemunt. Mart. X, 92, 16: Hac ecce mecum dextera litat vobis / absens sacerdos.

δ) antecedit adverbium: Sen. de cons. ad Helv. 9, 8: nunc ecce trahit illum ad se Africa. Stat. silv. I, 2, 3: procul ecce; Theb. X, 216: iterum ecce; XI, 381: tamen ecce. Sen. Herc. Oet. 1012: hic ecce pallens dira Tisiphone stetit.

ε) antecedunt coniunctiones: quin ecce: Stat. Theb. I, 76. si ecce: Val. Fl. I, 566; at ecce: Val. Fl. IV, 392. et ecce: Sen. de morte Claudi XIII, 4. Val. Fl. VIII, 278. Sen. Phoen. 417; Med. 992; Ag. 769. Petron. 40. 45. 66. 76. cum ecce: Petron. 7; 136. Sen. ep. VI, 58, 7. sed ecce: Sen. Herc. fur. 329, 987; Oed. 321; Ag. 408. 586. 728; Herc. Oet. 1430; Octavia 436. Colum. X, 67: sed ecce / durior, aeternusque vocat labor. atque ecce: Sen. Med. 445. en ecce: Sen. Phoen. 42; Oed. 1004.

c) in medio enuntiato positum: Sen. ep. V, 48, 4: in diversum ecce sapientia et stultitia discedunt; ep. 22, 13: et occurrit mihi ecce nescio utrum verior an eloquentior. Tac. dial. 3, 18: omne tempus modo circa Medeam, ecce nunc circa Thyestem consumas. Pomp. Mela III, 6, 49: quippe tamdiu clausam (sc. Britanniam) aperit ecce principum maximus. Lucan. VI, 214: Dictaea procul ecce manu Gortynis harundo / tenditur in Scaevam. Stat. silv. IV, 7, 23: et primis meus ecce metis / haeret Achilles; silv. IV, 8, 15; Theb. III, 530: Sed fortior ecce / adventat . . . cohors; Theb. VII, 172: qui fervidus ecce / quanta parat? (sc. Mars.) IX, 69: qualis et ecce iaces? X, 244: venit ultor in hostes / ecce dies; cf. XI, 263; XI, 716: et nunc ecce . . . irriat. Val. Fl. II, 336; III, 396; quos ecce vides; III, 675; IV, 282: et iam ecce ruunt; V, 212: promittis ut ecce / utque vocas revehemur; VI, 231: cum saevior ecce iuventus / . . . coiere manus fremitusque . . . VIII, 12: o mihi si . . . / amplexus, Aeeta, dares fletusque videres / ecce meos! cf. VIII, 194; VIII, 434. Sil. Ital. IV, 126: renuit tibi Daunia regna / armiger ecce Iovis; V, 518: Haec inter miseranda . . . certamina consul / ecce aderat; VI, 110: gravior quanto vis ecce malorum; VII, 533: Non sperata . . . certamina . . . / offert ecce deus; IX, 161: ast ego . . . ecce, parentem / . . . cognosco; XVI, 73: Per medios Hannon . . . / ecce trahebatur. Calp. Sic. VI, 60: istic / protinus ecce torum fecere . . . Musae; VI, 91: et venit ecce Micon; I, 4: Cernis ut ecce pater quas tradidit, . . . vaccae / . . . explicuere . . .? V, 7: quos ecce greges a monte remotos / cernis . . . / hos tibi do; III, 98: qui redit inventa non irritus ecce iuvenca. Sen. Herc. Oet. 72: invasit omnis ecce iam caelum fera; Herc.

Oet. 925, 1603: Octavia 36, 782, 959: et manes ecce tyrannus. Phaedr. App. 3, 12: Barbatus infans ecce vagitus ciet. Mart. III, 86, 2: tu tamen, ecce legis; VI, 81, 4: Et caput, ecce, lavas; cf. VII, 34, 6; IX, 36, 3; IX, 91, 6; XI, 36, 2: Gaius . . . / signat, io, votis redditus, ecce meis.

d) extremo loco positum: Stat. Theb. V, 703: nil actum saeve, meritus nec tale Lycurgus / excidium, gratique inventrix fluminis ecce.

B. formae nominales:

a) hercule, hercules.

Has voces nihil aliud quam nominativum et vocativum nominis proprii dei „Hercules" esse, luce clarius est. („hercle, hercles" formae sunt, quae cum in aliis dialectis italicis, tum in lingua etrusca usurpantur: saepius in comoediis priscis, sed etiam apud Ciceronem, Livium, persaepe apud Gellium, antiquarum formarum studiosum, inveniuntur)[1] „hercule, hercules" (item: „mehercule, mehercules") sunt voces iurisiurandi per Herculem (cf. graecum: νὴ τὸν Ἡρακλέα). Sed cum primo in hac obtestatione et affirmatione nomen Herculis a Romanis vere invocaretur, postea ita usurpabatur, ut divinum numen ne cogitaretur quidem, sed solum adverbium iurisiurandi audiretur; atque hercule, mehercule tantopere vocativi mensuram exuebant, ut iam a poetis priscis syllaba extrema interdum corriperetur. Magni momenti sunt illa, quae Gellius (n. Att. 11, 6) de vera notione et origine huius iurisiurandi dicit: G. enim explicat hoc iuramentum virorum proprium esse. „Nusquam enim scriptum invenire est apud idoneos quidem scriptores, aut mehercule feminam dicere aut mecastor virum." (idque ideo, quod feminae sacrificio Herculaneo abstinebant.) Hic ritus in comoediis, ubi notio interiectionis prisca valet, servatur (cf. F. W. Nicolson l. c. [cf. pg. 7]: apud Plautum iurant viri per Herculem 638 ies, per Pollucem 498 ies [nunquam per Castorem] — feminae ibi iurant per Pollucem 108 ies, per Castorem 118 ies [nunquam per Herculem]). Quod ad nomen „Hercules" attinet, perspicuum est illud, ex Graecia importatum et in formam italicam redactum, graecum „Ἡρακλῆς" adaequare. Etiam Th. Mommsenus, qui primo[1]) Herculem, cum deus populi Romani esset, ex Graecia translatum esse negabat, et nomen ab „hercere" = ἕρκειν derivabat, (Hercules = custos domesticus), postea[2]) hanc sententiam dubiam reliquit. Iurisiurandum per Herculem — ut Peterus[3]) dicit — in antiqua Romanorum opinione, qua viris genius, feminis Iuno attributi sunt, positum est. Et cum feminae per Iunonem iurarent, viri per genium Iovis (Iuppiter origo omnium geniorum virilium est) deiurare solebant, hunc autem non Iovem, sed genium vel Herculem (i. e. genius Iovis, qui speciem humanam induit) appellabant. (hic Hercules — cuius nomen graecum, cuius notio italica est — Semoni Sanco, deo Sabino qui custos fidei et iurisiurandi est, respondet.) Omnibus temporibus Romani has formulas persaepe usurpaverunt; et non modo apud poetas comicos „homines inferioris condicionis more suo" (cf. Hand. Tursell. III pg. 59) orationem acuebant talibus obtestationibus, sed etiam scriptores recentiores illas, veram naturam non satis reputantes, pro particulis affirmativis ponebant. Sed — quod memoratu dignum esse

1) cf. Neue-Wagener-Formenlehre³ II pg. 989 sq. — De forma primitiva „Herc(o)lo" v. Schulze in „Zeitschrift für vgl. Sprachforschung auf d. Gebiete der indog Sprachen." (A. Kuhn) Berlin 32, 196.

1) cf. „Die unteritalischen Dialekte." Leipzig 1850. pg. 262 sq.

2) cf. Röm. Gesch. I⁶ pg. 178.

3) in Roscheri: Lexikon der griechischen u. röm. Mythologie I, 2 (Hercules) col. 2256—58.

videtur — poetae usum harum interiectionum paulatim magis magisque restringebant, quin etiam postremo plane reiciebant, velut aetate linguae argentea — perpaucis locis exceptis (v. infra) — interiectiones „hercule(s) mehercule(s)" apud poetas non iam occurrunt. De usu interiectionis „hercule" in universum cf. Neue — Wagener l. c. pg. 990: „hercule" invenitur apud Ciceronem (in epistulis ad fam., ad Att., ad Qu. fratr.)[1]), apud Horatium (in saturis), apud Livium, apud scriptores archaicantes: Apuleium (in rhetoricis libris);[2]) „hercules" offertur apud Varronem, Ciceronem,[3]) auctorem belli Africani, apud Frontonem, Apuleium. Saepe autem difficile est intellegere, utrum singuli scriptores magis formam nominativi an vocativi praetulerint, cum codices permultis locis inter scripturas „hercule" et „hercules", „mehercule" et „mehercules" varient. Exempla latinitatis argenteae haec sunt:

h e r c u l e(s) (forma „hercle", de qua iam supra dixi, modo quattuor locis dialogi Taciti occurrit)[4]): Hae particulae affirmativae nunquam principio enuntiati positae sunt, sed semper alia vocabula praecedunt:

I. a n t e c e d u n t s u b s t a n t i v a: S e n. r h. controv. X, 6: Bono hercules publico . . . crudelitas post Ciceronem inventa est. P h a e d r. I, 1, 12: Pater hercule tuus.

II. a n t e c e d u n t p r o n o m i n a: C u r t. R u f. VII, 1, 28: Tu hercules; X, 9, 4: Huius hercule non solis ortus. P e r s. I, 2: nemo hercule; P e t r o n. 10, 2: tu hercule.

1) cf. M. Seyffert: ad Ciceronis Laelium. (Leipzig 1876) pg. 218 sq. et pg. 267.

2) cf. H. Becker: Stud. Apul. Regimonti 1879. pg. 14 sq.

3) in prioribus orationibus (cf. Landgraf in commentario ad orationem pro Sext. Rosc. Amer. pg. 247).

4) exemplar a C. Halmio emissum sequor.

III. a n t e c e d u n t a d i e c t i v a: V a l. M a x. VII, 3, 9: sagaci hercule. C u r t. R u f. IV, 10, 23: Dignus hercule; X, 2, 21: Omnem hercule spem; X, 2, 22: digni hercule, qui. T a c. ann. 4, 40, 24: mirum hercule.

IV. a n t e c e d u n t v e r b a: T a c. dial. 26, 2: malim hercle; ann. 14, 43, 13: decernite hercule.

V. a n t e c e d u n t a d v e r b i a: S e n. r h. suas. VII, 1: Merito hercules; controv. II, 3, 18: tunc hercules. V e l l. P a t. II, 110, 5: Itaque hercules. V a l. M a x. II, 8, 2: iam hercule. C u r t. R u f. IV, 11, 9: quam hercule expeditius; IX, 2, 15: Olim hercules. T a c. dial. 14, 21 et 30, 20: itaque hercle. cf. dial. 39, 24: itaque hercule; dial. 1, 10: vix hercule.

VI. a n t e c e d u n t p a r t i c u l a e c o p u l a t i v a e: et h e r c u l e: Q u i n t. inst. orat. 2, 5, 4; 2, 16, 12; 10, 2, 3; 10, 1, 86; 12, 6, 4; 6, 3, 89. P l i n. ep. I, 20, 4; II, 6, 5; III, 20, 11; IX, 9, 2; paneg. 45, 3. V a l. M a x. V, 1, 10. C u r t. R u f. III, 8, 10; X, 5, 26. a t q u e h e r c u l e: T a c. dial. 34, 26.

VII. a n t e c e d u n t p a r t i c u l a e a d v e r s a t i v a e: S e n. r h. controv. I, 2, 1: at hercule; II, 7, 8: at hercules; VII, 5, 10: at hercules. P l i n. ep. I, 13, 3: at hercule; cf. II, 14, 3 et VII, 24, 7. C u r t. R u f. VI, 3, 15: at hercules; VI, 10, 20; VII, 7, 15: at hercule; cf. VII, 1, 36; X, 3, 9: at hercules. T a c. dial. 19, 19: at hercule; 21, 9: at hercle; ann. 1, 3, 21: at hercule. cf. 1, 17, 15; 1, 26, 8; 3, 54, 18; 12, 43, 10.

VIII. a n t e c e d u n t n e g a t i o n e s: n o n h e r c u l e: Q u i n t. inst. orat. 1, 4, 7; 12, 1, 7. P l i n. ep. VIII, 14, 13. C u r t. R u f. V, 8, 9; X, 2, 19. T a c. dial. V, 27; hist. I, 84, 15. n e c h e r c u l e: P l i n. paneg. 10, 2. i m m o h e r c u l e: C u r t. R u f. IV, 1, 22; VII, 1, 30. T a c. dial. 26, 6: hercle (lectioni Halmii „hercule" praeferendum est, quod omnes libri mss. ab Ad. Michaelis adhibiti praebent). Q u i n t. inst. orat.

11, 3, 59. minime hercule: Curt. Ruf. VIII, 8, 5.

IX. Saepius formula „tam hercule quam“ occurrit: Sen. rh. controv. IV, 4. IX, 4, 2. Quint. inst. orat. 1, 2, 4. Plin. ep. (ad Traianum) 56, 3. Val. Max. V, 2, 5; VIII, 15, 2; IX, 2 Ext. 3. Tac. dial. 21, 23. 8, 28. Colum. VIII, cap. 2, 14 et XI, cap. 1, 24 (collocatione mutata): Itaque tam istud vitandum habebit, quam hercule fugiendum venandi aut aucupandi studium. — Duobus Petronii locis lectiones corruptae sunt: cf. Petron. 88, 3, ubi legimus: „itaque hercula herbarum . . .“ (fortasse Buechelerus hic recte „herbularum“ coniecit), et Petron. 114, 4: „Itaque hercules postquam manifesta convaluit“, ubi fortassse cum Buechelero „Itaque periculi postquam maris ira infesta . . .“ legere possumus. Adnotatio: „hercule“ primo loco enuntiati — quod rarissimum est — apud Curt. Ruf. IV, 13, 24 occurrit. Ibi Alexander de Dareo dicit: „Hercule, votum meum implevit!“

b) mehercule, mehercules.

Iam grammatici antiqui[1]) recte docent, „mehercule“ et „mehercules“ sententias mutilatas esse, quasi dicatur: „ita me Hercules (vel vocativus: Hercule) ut subaudiatur, iuvet.“ Atque Handius[2]) frustra hanc explicationem refutare conatur. (vult enim „me“ esse syllabam praefixam, quae idem significet quod e in ecastor.) Ut usum harum particularum ante aetatem argenteam breviter tangam: „mehercule“ adhibetur a Varrone, Cicerone, Sallustio, Catullo, auctore belli Africani; „mehercules“ apud Catonem, Ciceronem offertur. De forma „mehercules“ apud Ciceronem Landgrafius[3]) egit. Ille pg. 247

1) cf. Neue-Wagener l. c. II pg. 988.
2) cf. Tursell. III pg. 55 sq.
3) cf. comment. ad orationem pro S. Roscio Amerino.

dicit Ciceronem in libris posterioribus semper „mehercule“ scripsisse, cum eum morem, quem in Oratore[1]) — qui anno a. Ch. n. 46 conscriptus est — comprobavisset, sequeretur. Ad haec cf. Hellmuth: Act. Erlang. I (1878) pg. 121. „mehercule“ apud Ciceronem in orationibus 46 ies, in libris philosophis 21 ies exstat: cf. Mergueti lex. Cic. Forma „mehercules“ igitur rustica esse videtur, sed ab aetatis argenteae scriptoribus haec urbaniori „mehercule“ (quam Plinius minor, Ciceronis imitator, habet) praefertur.

mehercule, mehercules:

I. antecedunt substantiva: Sen. de brev. vitae 12, 5: Convivia mehercules. de ira III, 4, 3: ferarum mehercules . . . minus tetra facies est; ep. XV, 94, 40: occursus mehercules ipse sapientium iuvat.

II. antecedunt pronomina: Sen. de brev. vit. 6, 4: Vestra mehercules vita; ludus de morte Claudi III, 3: Ego mehercules — inquit (sc. Clotho) . . . volebam. Petron. 95, 3: v[illegible] mehercules . . . voluistis.

III. antecedunt adiectiva (numeralia): Sen. rh. controv. II, 1, 5: Unam mehercule horam. Sen. de cons. ad Marc. 13, 2: dignus mehercules fuit: de cons. ad Helv. matr. 12, 6: aequum mehercules erat. (codices deteriores „mehercule“ habent: de hac re cf. Fr. Haase in vol. III editionis Senecae pg. 14, qui recte censet Senecam semper „mehercules“ scripsisse) de cons. ad Marc. 1, 4: Magnum mehercules detrimentum respublica ceperat; de brev. vitae 12, 8: plura mehercules praetereunt quam fingunt; ep. XIX, 113, 26: textorium . . . totum mehercules istud; ep. XIX, 117, 23: turpissimum . . . principium diserti mehercules viri legi. Vell. Pat. II, 83, 3: multa — inquit — mehercules fecit

1) Orator § 157: „libentius dixerim et mehercule quam mehercules.“

Ausonius. Curt. Ruf. VI, 3, 17: Egregium mehercule opus; VII, 7, 24: . . . quem certum mehercule habeo.

IV. antecedunt adverbia: Sen. rh. suas. VI, 10: tum mehercules . . . mortem rogabis. Sen. de clem. I, 9, 10: male mehercules cum populo Romano agitur. de vita beata 12, 4: ita enim meh. sentio. Plin. min. ep. IV, 1, 1: . . . mutuo mehercule: VII, 6, 11: Bene mehercule. Stat. silv. I (in praefatione prosaica, quae inscribitur: Statius Stellae suo salutem) v. 29: „audacter mehercles" (sc. scriptum est).

V. antecedunt verba: Sen. rh. controv. IX, 2, 21: timebam mehercules ne . . .; controv. X, 4, 2: Volo mehercules nosse. Sen. de ira III, 40, 1: Indignor mehercules; de tranq. an. 1, 13: In studiis puto mehercules; ibid. 2, 1: Quaero mehercules; ep. XVI, 98, 15: lenitur illa vis ulceris, quam opto mehercules mitigari; ep. XIX, 112, 1: Cupio mehercules. Plin. min. ep. VI, 30, 1: Debemus mehercule. Curt. Ruf. IV, 14, 14: Obteri, mehercule, equorum ungulis possunt; X, 2, 29: Triumphabo mehercule. Mart. II (in praefatione prosaica) 11: Puto mehercules. Petron. 58, 5: licet mehercules: 43, 2: puto mehercules.

VI. antecedunt particulae copulativae: et mehercules: Petron. 33, 5; 65, 9; 69, 2. et mehercule: Curt. Ruf. V, 8, 10.

VII. antecedunt particulae adversativae: at mehercules: Sen. de ira III, 28, 6; de brev. vit. 5, 3; 20, 5. de clem. I, 5, 1; de benef. IV. 11, 6; de benef. VII, 10, 2; VII, 15, 2; ep. XIX, 110, 7; ibid. 110, 13; ep. XIX, 113, 32; ep. XIX, 117, 31; ep. XX, 122, 3. nat. quaest. I, 16, 4 traditum est: „at hercule(es) scelera . . ."; et Fr. Haasius l. c. — ut omnes Senecae lectiones inter se consentiant — „at mehercules" legere vult. Equidem — quamquam haec mutatio satis audax est — ei astipulor. (cf. ep. 95, 60, ubi in codd. BA me similiter excidit.) Quod ad alios naturalium quaestionum locos attinet, lectionem „mehercule" (sine s), quam plurimi codices praebent, reiciendam esse puto, cum intellegere non possim, qua de causa Seneca in ceteris libris semper „mehercules", in naturalibus quaestionibus autem „mehercule" scripserit. Praeterea codices naturalium quaestionum, cum non supra saeculum XII ascendant, non tantam fidem et auctoritatem habent quantam codices ceterorum librorum, qui ad saeculum IX vel VIII ascendunt. „at mehercules" igitur legendum est: nat. quaest. VII, 1, 6; VII, 32, 4. Tum formula occurrit: ep. V, 44, 2; V, 50, 5; VI, 53, 11; VI, 56, 3. Sen. rh. controv. I, 2, 4. IX, 4, 6. IX, 4, 18. Colum. I, 17: at mehercule. sed mehercules: Sen. ep. VII, 66, 1: . . . exspectas, ut adiciam senem, sed mehercules viridem animo.

De forma contracta „mercules", quam in L. Muelleri editione Phaedri scriptam videmus, idem Muellerus in suo libello: „De Phaedri et Aviani fabulis" (Leipzig 1875) pg. 25 egit. Quamquam ille recte commemorat interiectionem — ut necessitas metri cogit — „mercules" pronuntiandam esse, tamen hanc scripturam, quam nullus codex offert, non probarim. Itaque formam plenam „mehercules" scribendam esse puto: cf. Phaedr. I, 25, 7: facerem mehercules; III, 17, 8: at mehercules; V, 5, 22: non meh.; App. 12, 3: sed meh.

VIII. antecedunt negationes: non mehercules: Sen. rh. controv. I, 22; IX, 1, 3; X, 1, 13. Sen. de cons. ad Marc. 12, 5; ibid. 22, 3; de tranq. an. 12, 2; de benef. V, 22, 1; ep. VIII—XIII, 75, 3; ep. 82, 9; ep. XVII—XVIII, 108, 28. Petron. 37. 43. 44. 45. 49. 57. 61. 76. 117. non mehercule: Plin. ep. I, 4, 2; IV, 7, 5. Curt. Ruf. VI, 10, 3; VI, 10, 24. nec mehercules: Sen. rh. controv. X, 1, 1. Sen.

de benef. VII, 1, 2; ep. VI, 61, 1. Petron. 38 immo mehercules: Sen. ep. XVI, 98, 5; ep. XVII — XVIII, 102, 2; ep. XIX, 116, 8.

IX. antecedunt coniunctiones: Sen. de morte Claudii VIII, 2: Si mehercules a Saturno petisset . . . Petron. 107, 6: si mehercules intervertissent . . .

X. formula „tam mehercules quam" persaepe apud Senecam philosophum in comparatione adhibetur: Sen. de prov. 3, 2: tam mehercules quam quaedam, quae laudantur; de vita beata 15, 6; de clem. II, 6, 4; de benef. VI, 6, 1; nat. quaest. II, 8; ep. VII, 66, 10; ep. VIII—XIII, 87, 17; ep. XIV, 90, 24; ep. XV, 95, 60; ep. 102, 19; ep. 114, 14; ep. 117, 8. — Adnotatio: Uno loco „mehercules" vocabulo corroborando praepositum est: cf. Petron. 63, 3: cum adhuc capillatus essem, . . . ipsimi nostri delicatus decessit, mehercules margaritum! (= wirklich eine Perle!)

c) medius fidius!

De hac iurisiurandi formula Corssenus (Vokalismus u. Aussprache) II pg. 857, Lindsayus-Nohlius (l. c.) pg. 709, Fr. Stolzius (l. c.) pg. 188 egerunt. „Medius fidius" (v. Fest. pg. 147, Prisc. 15, 34 H.) enuntiatum mutilatum esse nunc inter omnes viros doctos constat. Syllaba me nihil aliud nisi accusativus pronominis personalis est; et post nomen dei verbum „iuvet" vel simile quoddam supplendum est. (cf. nostrum: so wahr mir Gott helfe!) Utique ceteri conatus etymologici, quos Handius — Tursell. II pg. 342 — affert, multo improbabiliores sunt. Cum primo syllaba dí in dius (ex Dious)[1]) acuta esset, postea accentus ad primam syllabam me resiluit; qua de causa nunc in omnibus libris

1) cf. Stolz l. c.

prosodiam „médius fidius" invenimus. „Dius Fidius",[1]) qui in hac formula invocatur, genius Iovis est, qui omnes ceteros genios vi et auctoritate superat. Cum Iuppiter imprimis deus iuris et fidei sit, genius eius „Dius Fidius" (graece: Ζεὺς πίστιος) appellatur. Paulatim hic cum deo Sabino Semone Sanco, de quo iam supra dixi, in unum numen „Semo Sancus Dius Fidius" coaluit, quin etiam cum Hercule commutatur. (v. Varro de l. l. 5, 66 et Fest. pg. 229) — Plura (de cultu et templis huius dei) invenies apud Wissowam l. c. „medius fidius" eodem fere modo ac „mehercules" pro particula affirmativa usurpatur: saepius in comoediis priscis[2]) obviam fit, apud Ciceronem in orationibus (cf. Mergueti lex. Cic.) 15 ies, in libris philosophis semel (Tusc. I, 74) adhibetur. Postea apud poetas plane evanescit, apud scriptores prosaicos modo paucis locis invenitur. Exempla aetatis argenteae enumerabo:

Plin. min. ep. IV, 3, 5: Non medius fidius ipsas Athenas tam Atticas dixerim; ep. (ep. Trai.) 38: Sed medius fidius ad eandem diligentiam tuam pertinet inquirere. Curt. Ruf. X, 6, 22: Si medius fidius, Alexander hunc nobis regem pro se reliquisset . . . Petron. 17, 4: misereor medius fidius vestri; 104, 5: pessimo medius fidius exemplo! 129, 6 (ubi — quod raro fit — primo loco positum est): medius fidius iam peristi.

C. formae verbales:

age, agedum!

„age" imperativum verbi „agere" esse perspicuum est. Sed haec forma, ubicumque naturam imperativi primitivam, i. e. integram agendi notionem exuit, loco

1) cf. G. Wissowa in Roscheri lexico tom. I, 1. column. 1189 sq. cf. eundem in „Rel. u. Kult. der Römer" pg. 120 sq. pg. 227.

2) ibi etiam aliae formae, ut „edius fidius, edio fidio, edi medi" occurrunt.

adverbii vel potius interiectionis ponitur. (cf. Hand. Tursell. I. s. v. „age".) Quomodo aut vim imperativi vel coniunctivi (optativi) corroborat (= wohlan! auf! nun denn!) aut interrogationi vividae praeponitur (= sag' an! sprich!) aut ante enuntiata exclamativa demonstrantis est (= sieh nur!). Apud poetas comicos et Ciceronem interdum etiam improbantis est (= geh! lass das!); saepius pro particula concessiva (= nun gut! schön!) usurpatur. „age vero, age nunc, age porro" formulae sunt, quae imprimis ab oratoribus — cum orationem ad novum traducunt — adhibentur. Schmalzius — in Antibarbaro I pg. 127 — usum interiectionis „age" descripsit: Iam apud Plautum „age" ante verbum, quo complures admonentur vel excitantur, exstat (cf. mil. glor. 928: age intro abite).[1]) Cicero, qui „age" in orationibus 27 ies (agedum: bis), in libris philosophis 20 ies habet, constructionem: age cum plurali verbi sequentis, adhibere non dubitat, cum Livius modo Ciceronis exemplum sequatur, modo ante pluralem verbi ‚agite" ponendum esse putare videatur (cf. 3, 61, 7: agite iuvenes praestate). Sed paulatim „age" forma immutabilis fit, quae postea (cf. exempla infra allata) — neque certum numerum neque certam notionem habens — more interiectionum verarum usurpatur. „agedum" forma amplificata est, quae praecipue temporibus posterioribus occurrit (aetate prisca rarius!). dum, quod imperativo „age" enclitice adiectum est, ex „dium" (= accusativus vocis: dius-dies) ortum est et proprie significat „den Tag lang", „eine Weile".[2]) Exempla aetatis argenteae afferam:

I. age, agedum cum imperativis coniunguntur:

a) cum secunda persona singularis

1) Terentius autem „age" non nisi ante singularem verbi utitur.

2) cf. Corssen l. c. II pg. 856.

imperativi: Sen. rh. controv. I, 4, 8: Agedum . . . recita; controv. III, 13: Agedum . . . produc; controv. X, 4, 2: Produc agedum. Sen. de ira I, 11, 4: agedum . . . da rationem; de cons. ad. Marc. 18, 1: Ad hanc imaginem agedum . . . refer; de tranq. an. 8, 5: respice agedum; de brev. vit. 3, 2: agedum . . . revoca; de cons. ad Pol. IV, 2: omnis agedum mortalis circumspice; ibid. 11, 5: agedum . . . sume; de cons. ad Helv. 6, 2: aspice agedum; ibid. 7, 1: A caelestibus agedum te ad humana converte; de benef. V, 20, 3: Agedum . . . verte! Lucan. I, 367: Duc age; Stat. silv. I, 2, 182: ergo age iunge; cf. silv. III, 1, 23: ergo age . . . huc ades; silv. V, 2, 125: ergo age . . . surge; silv. III, 1, 50: dic age; silv. III, 4, 35: vade age; silv. IV, 1, 28: dic age; silv. IV, 4, 74: surge agedum; Ach. I, 949: Quin age duc; Theb. I, 260: Quin age . . . excinde; Theb. V, 23: Dic age; Theb. V, 43: Immo age . . . pande; X 628: Nunc age . . . incipe; X, 904: nunc age . . . conitere; XI, 101: agedum elige; XI, 706: Duc age; XII, 326: age . . . induc; XII, 378: Iunge age. Val. Fl. I, 306: age rumpe; II, 127: vade age; II, 565: age . . . infer; III, 212: perge age; IV, 35: surge age; IV, 471: age mitte; VI, 33: age . . . mone; VIII, 64: dic age. Sil. Ital. VIII, 32: perge age et . . . comprime; VIII, 176: surge age; VII, 310: Verum age . . . percipe; VII, 19: Surge, age et . . . insere; I, 109: age, concipe; XI, 240: huic agedum . . . / . . . innecte catenas; XII, 193: Perge age; cf. 511; XIII, 413: vade age; XIII, 503: Verum age disce; 634: Verum age . . . disce; 666: Verum age fare; XV, 89: huc age . . . aspice; XV, 556: surge, age, fer gressus; 571: age perge; XVI, 208: Quare, age, laetus have; Calp. Sic. VII, 19: Dic age dic; cf. VII, 78; III, 22: Nunc age dic; III, 92: nunc age . . . / perfer; Sen. Herc. fur. 397: Agedum . . . amove; Herc. fur. 1281: agedum conare; Tro. 509: age / aude; Tro. 963: age / elabere;

Tro. 1000: age / reclude; Oed. 1032: agedum / commoda; Thy. 192: age . . . fac; Herc. Oet. 482: Circumspice agedum; Herc. Oet. 1617: Edissere agedum; Octavia 5: age . . . repete. Pers. II, 22: dic agedum. Petron. 120 v. 94: quare age . . . muta; 121 v. 116: pande age.

Semel „agedum" absolute (sine verbo sequenti) in adhortatione positum est: Sen. rh. controv. II, 3, 7: Agedum in medium, senex, cuius misericordia crudelis sum. „age" 49ies, „agedum" 22ies occurrit.

b) cum secunda persona pluralis imperativi: Stat. silv. IV, 3, 107: ergo omnes age . . . commeate; Theb. V, 137: age . . . purgate; Theb. VII, 612: Ite age; Theb. VII, 628: Nunc age . . . referte; Theb. IX, 315: Nunc age . . . indulgete; Theb. X, 33: Ite age. Val. Fl. III, 311: vos age . . . volvite; V, 538: quare age . . . defendite; VI, 213: age . . . reddite. Sil. Ital. XI, 169: huc, age, adeste; XI, 575: temptate agedum. Sen. Herc. Oet. 1857: agedum . . . pulsate. „age" 10 ies, „agedum" bis occurrit.

II. age, agedum cum coniunctivis coniunguntur:

a) cum tertia persona singularis coniunctivi: Sen. de vita beata 13, 5: agedum virtus antecedat. Stat. silv. I, 1, 8: nunc age . . . miretur. Mart. X, 87, 1: age sentiat; XI, 56, 9: agedum tumeat. Sen. Phaedr. 469: Excedat agedum; Herc. Oet. 1402: procedat agedum. „age" bis, „agedum" quater occurrit.

b) cum prima persona pluralis coniunctivi: Sen. de clem. II, 7, 1: [Agedum] constituamus nunc quoque, quid sit venia, et sciemus. (ubi „agedum" mutatio incertissima Hosii est: traditum est „vacuam", quod ad sensum non quadrat; fortasse „hoc iam" cum O. Rossbach (Berl. philol. Wochenschrift 27 [1907] pg. 1488) pro corrupto „vacuam" legendum est.) Plin. ep. IX, 19, 6: Agedum . . . comparemus. Val. Max. II, 9, 6: age . . . proferamus. Stat. Theb. VII, 126: agedum . . . colamus. Sil. Ital. XIV, 10: Ergo age . . . sequamur. Petron. 79, 12: age — inquit — nunc dividamus; cf. frg. 39, 5. „age" quater, „agedum" bis occurrit.

c) cum tertia persona pluralis coniunctivi: Sen. de benef. VI, 22, 1: Agedum — inquit — si possunt, resistant! Colum. X, 230: quare age, quod sequitur, parvo discrimine sulci / spargantur. Stat. Theb. VIII, 37: pereant agedum. Val. Fl. III, 416: sileant age; VIII, 191: sint age tanti. „age" ter, „agedum" bis occurrit.

III. age, agedum interrogationibus praeponuntur: Sen. rh. suas. VII, 14: age . . . non putas . . .? controv. VII, 6, 10: Age hoc non est praemium . . .? controv. X, 4, 6: Age, siquis agnoverit suum, petes alimenta tamquam alueris? controv. X, 4, 16: Age non pudet vos . . .? Sen. de ira III, 4, 3: age, si exaudire voces ac minas vacet, qualia excarnificati animi verba sunt? ibid. III, 28, 1: age, infelix, ecquando amabis? de vita beata 11, 1: age non vides, quam multa suasura sit? de benef. IV, 38, 2: Age, si Philippus . . . reliquisset, non omnibus miseris aqua et igni interdixerat? nat. quaest. VI, 8, 2: age, cum vides interruptum Tigrin . . . averti, . . . quo illum putas abire nisi . . .? ep. I, 7, 5: Age, ne hoc quidem intellegitis mala exempla in eos redundare, qui faciunt? Quint. inst. orat. 10, 1, 48: Age vero, non . . . constituit? 1, 10, 27: Age, non habebit in primis curam vocis orator? cf. 12, 1, 8. 11, 1, 53: age, si . . . fuerit, . . . quaeret? Val. Max. II, 7, 7: Age, quanto spiritu putamus usum L. Quintium Cincinnatum . . .? II, 8, 2: Age deinde — inquit Calatinus — si . . . accepissetis, cuius magis auspicio stare-

tur? IV, 3, 11: Age, siquis . . . utatur . . ., nonne miserabilis existimetur? Stat. Theb. IX, 744: Quos, age . . . sternis . . .? (age postpositum!) Val. Fl. VII, 48: cur age non . . . / libet? (age postpositum!) Sil. Ital. XIII, 75: Nunc age, . . . cur non . . . / ducimus auspiciis? Phaedr. III, 7, 25: Age, abire siquost animus, est licentia? Petron. 82, 3: age ergo . . . ambulant?

age absolute pro toto enuntiato interrogativo exstat: Sen. rh. controv. I, 2, 2: Age, siquis venit pertinax? age, siquis hoc ipsum concupivit, quod virgo eras? age, siquis, ne negare posses, ferrum attulit? Val. Max. III, 8, 3: Age, si ventum fuerit? VII, 4, Ext. 1: Age, si . . . perseverasset?

IV. age, agedum ante enuntiata exclamativa exstant: Plin. paneg. 55, 4: Age, si quando . . . vicit, quae qualiaque aut decernimus nos aut tu non recusas! Val. Max. II, 7, 15: Age, quam graviter senatus tulit; IV, 1, 4: Age, L. Quintius Cincinnatus, qualem consulem gessit! V, 1, 4: Age, M. Marcelli clementia, quam clarum . . . exemplum haberi debet! VII, 2, Ext. 2: Age quam prudenter Solo neminem . . . beatum dici debere arbitrabatur! VIII, 5, 4: Age, Qu. Metellus Pius Lucius . . . quam non onerarunt tantummodo testes salutem, sed etiam . . . depoposcerunt! IX, 1, Ext. 3: Age, Xerxes, . . . quanta amplissimi imperii ruina evasit! II, 6, 6: Age, quid illud institutum Athenarum, quam memorabile, quod . . . libertus . . . exuitur! III, 2, Ext. 2: Age, Darei quantus ardor animi! III, 5, 2: Age . . . Quintus Fabius Maximus, quam perditam luxuria vitam egit! V, 6, 8: Age, ut . . . transgrediar, quanto et quam aequali amore patriae tota civitas flagravit! VI, 2, 12: Age, Cascellius . . ., quam periculose contumax! VII, 2 Ext. 10: Age, Philippi quam probabilis epistola, in qua . . . increpuit!

V. age, agedum principio enuntiatorum pronuntiativorum exstant: (particulae concessivae sunt, quae idem fere significant quod nostrum „nun gut“, graecum „εἶεν.“) Sen. rh. controv. IX, 5, 14: Ego asper! age monstrabo, si vis, quis ante me tibi filios . . . abstulerit! Sen. de benef. III, 10, 3: Age, intra pecuniam versabitur taxatio. Sil. Ital. XI, 1: Nunc age . . . / . . . expediam. Pers. VI, 52: age, si mihi nulla / iam reliqua . . . proneptis / nulla manet patrui . . . accedo Bovillas / clivumque ad Virbi, praesto est mihi Manius heres.

Excursus.

Postquam usum interiectionum aetatis argenteae satis illustravi, cum his scriptoribus a me tractatis unum temporum paulo posteriorum componam: L. Annaeum Florum, qui — quod ad „studium luminibus rhetoricis orationem usque quaque distinguendi“ attinet — cum illis, imprimis cum Annaeis, Seneca patre et filio et Lucano, multa communia habet (de hac re cf. O. Rossbach in praefatione ad Flori editionem — Lipsiae 1896 — ubi pg. L epitomam „declamationem“ appellat; praeterea cf. quae idem dixit apud Pauly-Wissowam: Realenc. VI, pg. 2763.) Orationem Flori, qui magnitudinem et virtutes populi Romani summis laudibus efferre studet, turgere et hyperbolis rhetoricis abundare constat; sed si ex hac re magnam interiectionum copiam apud eum inveniri colligemus, errabimus. Florum enim has voculas non saepe adhibuisse, numerus locorum docebit; velut in epitoma occurrunt: o 8 ies, pro 5 ies, ecce 5 ies, en bis. (vae semel) Accedunt in dialogo „Vergilius orator an poeta?“, qui eidem auctori tribuitur: o ter, mehercules semel, ecce

semel. Ille quo magis usum interiectionum reprimit, eo saepius rationem, quae dicitur, Bioneam (cf. Henricus Weber: De Senecae philosophi dicendi genere Bioneo. Diss. Marburg. 1895. pg. 46 sq.) sequitur et breves formulas cottidiani sermonis proprias — ut orationem dialogi vividiorem reddat — sententiis per parenthesin immiscit. Hic mos, quem simili modo apud priores quoque scriptores (de parenthesibus apud Senecam philosophum cf. Otto Rauschning: De latinitate L. Annaei Senecae philosophi. Diss. Jenensis. Regimonti 1876 pg. 4 sq. Praeter poetas [cf. Martialem, Silium Italicum, alios] Tacitus saepius „mirum dictu, pudet dictu", similia intericit: cf. Agricola 32, 6; hist. II, 41, 10; IV, 84, 14; ann. 2, 17, 8; alios locos)[1]) observamus, Florus autem imprimis excoluit, orationi colorem vigentem dat et idoneus est, qui loco interiectionum fungatur.[2]) Quomodo usus interiectionum paulatim minuatur, iam supra vidimus. Maxime memoratu dignum est formulas obtestationis, quae nominibus deorum priscorum continentur, rarius rariusque occurrere, velut „pol, edepol, ecastor, mecastor" iam pridem ex litteris latinis expulsa sunt et „hercule(s) mehercule(s)" quoque, quamquam multo diutius in usu fuerunt (cf. Apuleium), a nonnullis scriptoribus, qui religioni liberiori dediti superstitionem vulgi reiciunt, — quoad fieri potest — evitantur. Qua de causa Florus quoque has particulas declinasse videtur (nam modo uno loco dialogi — pg. 185 v. 10 — forma „mehercules" occurrit), cum Seneca pater et filius, alii

1) v. lex. Tac. (A. Gerber et A. Greef) I pg. 287.

2) velut iam grammatici antiqui — cf. Donat. 392, 1. Diom. 419, 14. Prisc. II, 91, 23 — docuerunt, alias quoque partes orationis, si affectus sonorum notionem induant, in interiectionum ordinem recipiendas esse. cf. verba Diomedis — 419, 17 — „et fere quidquid motus animi orationi inseruit, quo detracto textus integer reperitur, numero interiectionis accedet." (v. Jeep l. c. pg. 293.)

— etiam usui prisco subiecti — illas persaepe offerant. (v. supra.)

Primum locos, quibus interiectiones „grammaticae" inveniuntur, afferam:

O!

1. ante vocativos: dial. (Vergilius) pg. 185 v. 23 (R.) o hospes et amice; epitom. I, 22 (II, 6), 30: o pudor; (cf. Val. Fl. VIII, 269; Sen. Phaedr. 989; Mart. VIII, 78, 4.) II, 30 (IV, 12), 34: o securitas! II, 12 (V, 1), 2: o nefas. (cf. Sen. Herc. Oet. 1232.)

2. ante accusativos: epitom. I, 22 (II, 6), 43: o populum dignum orbis imperio, dignum omnium favore et admiratione hominum ac deorum! I, 22 (II, 6), 31: o horribilem in tot adversis fiduciam! immo singularem animum ac spiritum populi Romani! dial. pg. 186 v. 13: o — inquit — beatam civitatem, quae . . . v. 18: o rem indignissimam!

3. ante enuntiata: epitom. I, 13 (18), 18: o quam facile erat; II, 18 (IV, 8), 1: o quam diversus a patre! (sc. erat S. Pompeius) dial. pg. 184 v. 12: o quisquis es, mihi quoque ipsi hoc idem mirum videri solet. enuntiato immissum: epitom. I, 18 (II, 2), 31: quantus, o, tum triumphus tempestate intercidit!

pro!

epitom. I, 5 (11) 9: pro pudor (ter apud Lucanum, bis apud Statium, bis apud Senecam phil., bis apud Petronium, semel apud Martialem.) I, 36 (III, 1), 9: pro dedecus! II, 9 (III, 21), 2: pro facinus! (apud Senecam phil. et rh., apud Martialem occurrit.) II, 9 (III, 21), 11: pro nefas! cf. II, 13, (IV, 2) 14. (in Senecae tragoediis — Ag. 35 — invenitur.)

ecce!

1. ante nominativos: epitom. I, 4 (10), 7: sic quidem viri, sed ne qui sexus a laude cessaret, ecce et

virginum virtus; I, 22 (II, 6), 1: ecce alterum bellum. minus quidem spatio.

2. ante enuntiata: epitom. II, 6 (III, 18), 11: ecce Ocriculum, ecce Grumentum, ecce Faesulae, ecce Carseoli, Aesernia, Nuceria, Picentia caedibus, ferro et igne vastantur. (ubi ecce ter repetito singula nomina maxime efferuntur.) et ecce: epitom. I, 18 (II, 2), 3: et ecce, ultro ipsis viam pandentibus fatis nec occasio defuit; dial. pg. 185 v. 20: et ecce iam familiaritate continua civitas nobis ipsa blanditur. enuntiato immissum: II, 13 (IV, 2), 10: C. Caesar eloquentia et spiritu, ecce iam et consulatu adlevabatur.

en!

epitom. I, 4 (10), 6: en ut scias — inquit (sc. Mucius Scaevola) — quem virum effugeris. (ubi verbum supplendum est: „en hoc facio . . .“) I, 38 (III, 3), 9: si viri estis — inquit (sc. Marius) — en illic habetis (sc. aquam.)

mehercules!

dial. pg. 185 v. 10: non aliter mehercules . . . sacer ille iuvenis terras pervolitavit.

vae!

I, 7 (13), 7: „vae victis“. (F. verba Gallorum Romam obsidentium affert.)

Deinde naturam illarum formularum interiectarum, de quibus in universum iam supra dixi, exemplis illustrabo. Pauca de usu parenthesium apud Florum invenies in „quaestionibus Florianis“ Alfonsii Egen, Progr. Münster 1891. Egen existimat multas harum elocutionum ex Tacitino dicendi genere in Florianum redundasse. (nonnulla Taciti exempla, quibus haec sententia comprobari videtur, iam supra attuli.)

A Floro intericiuntur:

1. adiectiva: a) cum supino „dictu“ coniuncta: epitom. I, 4 (10), 6: cum interim — immane dictu — hic interritus, ille trepidaret, tamquam manus regis arderet; I, 11 (16), 12: miles Papirio duce — horribile dictu — strictis ensibus per ipsam viam ante pugnam furit; I, 18 (II, 1), 2: ita — mirum et incredibile dictu — qui . . . luctatus est, . . . his ducentis annis . . . totum denique orbem terrarum bellis victoriisque peragravit; I, 22 (II, 6), 12: cum se ignibus prius oleoque fovissent, — horribile dictu — homines a meridie et sole venientes nostra nos hieme vicerunt; I, 22 (II, 6), 38: Hispaniam . . . — incredibile dictu — totam a Pyrenaeis montibus in Herculis columnas et Oceanum recuperavit; I, 24 (II, 8), 15: hic rex — incredibile dictu quibus auxiliis, quibus copiis, consederat; I, 40 (III, 5), 16: . . . nuntius fecit docens adventare Lucullum, qui — horribile dictu — per medias hostium naves . . . adgubernans videntibus procul quasi maxima pristis evaserat; II, 13 (IV, 2), 20: turpe dictu: modo princeps patrum fugiebat.

b) alia exempla: I, 39 (III, 4), 4: itaque non fusus modo ab his aut fugatus, sed — simile prodigio — omnino totus exercitus interceptus quem duxerat Cato; I, 5 (11), 3: Cossus equitum magister exuere frenos imperavit — et hoc novum — quo acrius incurrerent.

2. interrogationes rhetoricae: quis (credat) crederet? epitom. I, 5 (11), 6: Cora — quis credat? — et Alsium terrori fuerunt; I, 7 (13) 15: sex mensibus barbari — quis crederet? — circa montem unum pependerunt; I, 22 (II, 6), 22: si quidem invictum Alpibus, indomitum armis Campani — quis crederet? — soles et tepentes fontibus Baiae subegerunt; I, 38 (III, 3), 11: hi iam — quis crederet? — per hiemem . . . veluti ruina descenderant; I, 40 (III, 5), 10: . . . primumque Athenas urbem — quis crederet? — . . . obsidione ac fame ad humanos cibos compulit; II, 15 (IV, 4), 4: At Octavius Caesar et aetate et iniuria favorabilis, et nomi-

nis maiestate . . . privatus — quis crederet? — consulem adgreditur.

3. s u b s t a n t i v a: epitom. I, 1 (3), 5: sic — rarum alias decus — unius manu parta victoria est. (cf. Tac. ann. I, 39, 17: ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani . . . commaculavisset. ibid. I, 56, 7 et VI, 10, 11.) I, 5 (11), 2: iaculatus est — novum et insigne commentum — uti repeteretur; I, 18 (II, 2), 23: a viro militiae peritissimo vincimur — foeda clades Romanisque usu incognita — vivus in manus hostium venit fortissimus imperator; I, 32 (II, 16) 1: haec — facinus indignum — ante oppressa est quam in numerum certorum hostium referretur. II, 20 (IV, 10), 2: sed—immensa vanitas hominis — dum . . . concupiscit, . . . in Parthos impetum facit.

n e f a s:[1]) I, 34 (II, 19), 4: . . . in se ipse conversus . . . quasi per rabiem et furorem — nefas — semet ipse laceravit; I, 35 (II, 20), 7: Aquilius Asiatici belli reliquias confecit mixtis — nefas — veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium: II, 7 (III, 19), 1: Etsi cum sociis — nefas — cum liberis tamen et ingenuis dimicatum est. II, 13 (IV, 2), 45: dux ipse in nocturna imagine . . . circumsonatus et mane cum pullo pallio — nefas — aput principia conspectus est; II, 13 (IV, 2), 81: illud novissime inusitatum Caesaris oculis — nefas — post quattuordecim annos probata veteranorum manus gradum retro dedit. I, 32 (II, 16), 4: sed — fata rerum — cum Metellus dimicasset, ad victoriam Mummius venit. (fatum invocatur apud Lucanum: sexies [cf. pro fata, o fata]; apud Senecam philopohum: semel [cf. o dura fata],[2]) 5 ies in tragoediis; apud Statium: semel [o fata]).

1) quam vocem vim interiectionis induere, iam Diomedes — 419, 15 — docet.

2) de fato apud Senecam cf. locos ab Haasio — in indice rer. memorab. s. v. fatum locos collectos.

D i i i n v o c a n t u r apud Florum: epitom. I, 22 (II, 6), 56: quas ille, dii boni, Hasdrubalis copias fudit; dial. pg. 187 v. 15: bone Iuppiter, quam imperatorium, quam regium est.

Praeterea occurit a c c u s a t i v u s e x c l a m a t i v u s: 1. rei concretae: epitom. I, 34 (II, 18), 16: macte fortissimam . . . civitatem! 2. rerum abstractarum: epitom. I, 45 (III, 10), 22: qualis erat ad nuntium rei — felicissimam temeritatem — . . . emensus Galliam et . . . castra contraxit; I, 5 (11), 15: sic . . . redit ad boves . . . agricola — fidem numinum — qua velocitate; I, 38 (III, 3), 7: Marius . . . Teutonas . . . adsecutus in loco quem Aquas Sextias vocant quo — fidem numinum — proelio oppressit.

4. v e r b a: epitom. I, 5 (11) 6: De Verulis et Bovillis — pudet — sed triumphavimus; II, 8 (III, 20), 12: a quo pulsi fugatique — pudet dicere — hostes . . . refugerunt.

5. e n u n t i a t a e x c l a m a t i v a e l l i p t i c a: epitom. I, 40 (III, 5), 22: regemque fugientem media nanctus Armenia — quanta felicitas viri — uno proelio confecit; II, 13 (IV, 2), 94: qaunta vis fati! manaverat late coniuratio . . .; II, 19 (IV, 9), 4: qui missus a Cassio Brutoque — qui furor scelerum — sollicitaverat hostes in auxilium.

Tabula.

	Index scriptorum.	o!	a!	ei!	eu!	au!	heu!	en!	heus!	vae!	pax!	vah!	ne!	pro!	eheu!	heia!	euhoe!	io!	euge!	ohe!	papae!	ecce!	hercule! hercules!	mehercule mehercules	medius fidius!	age! agedum!
1.	Seneca philosophus (libri pros.)	70ies.	—	—	—	—	semel	bis	—	semel.	—	—	5ies.	ter.	—	—	—	—	—	—	—	32ies.	—	64ies.	—	17ies.
2.	Seneca rhetor	53ies.	—	—	—	—	semel	bis	—	—	—	—	—	7ies.	—	—	—	—	—	—	—	19ies.	8ies.	11ies.	—	13ies.
3.	Quintilianus.	—	—	—	—	—	semel	—	semel.	—	—	—	—	semel	—	—	—	—	—	—	—	semel.	10ies.	—	—	quater.
4.	Plinius minor.	20ies.	—	—	—	—	—	—	bis.	—	—	—	ter.	—	—	semel.	—	bis.	—	—	—	quater.	11ies.	5ies.	bis.	bis.
5.	Velleius Paterculus.	semel.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	ter.	—	—	—	—	—	—	—	—	semel.	semel.	—	—
6.	Valerius Maximus.	10ies.	—	—	—	—	semel.	ter.	—	—	—	—	—	semel.	—	—	—	—	—	—	—	—	6ies.	semel.	—	20ies.
7.	Curtius Rufus	quater.	—	—	—	—	—	semel.	—	—	—	—	—	semel.	—	—	—	—	—	—	—	—	20ies.	6ies.	semel.	—
8.	Tacitus	quater.	—	—	—	—	—	ter.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	semel.	21ies.	—	—	—
9.	Pomponius Mela	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	semel.	—	—	—	—
10.	Columella	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	semel	—	—	—	—	—	bis.	bis.	semel.	—	bis.
11.	Lucanus	80ies.	quater.	—	—	—	14ies.	10ies.	—	—	—	—	—	14ies.	—	—	—	—	—	—	—	9ies.	—	—	—	semel.
12	Statius	111ies.	16ies.	10ies.	—	—	67ies.	30ies.	semel.	—	—	—	—	13ies.	semel.	ter.	—	6ies.	—	—	—	62ies.	—	semel. (mehercles)	—	26ies.
13.	Valerius Flaccus.	49ies.	5ies.	5ies.	—	—	36ies.	19ies.	semel.	—	—	—	—	quater.	bis.	bis.	—	bis.	—	—	—	37ies.	—	—	—	17ies.
14.	Silius Italicus.	73ies.	—	semel.	—	—	54ies.	29ies.	semel.	—	—	—	—	14ies.	semel.	semel.	—	bis.	—	—	—	41ies.	—	—	—	23ies.
15.	Calpurnius Siculus.	14ies.	5ies	—	—	—	—	5ies.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—	9ies.	—	—	—	ter.
16.	Seneca (tragoediae)	124ies.	6ies.	ter.	—	–	18ies	58ies.	—	—	—	—	—	22ies.	—	—	—	—	—	—	—	44ies.	—	—	—	12ies.
17.	Phaedrus	9ies.	—	—	—	—	semel.	quater.	ter.	—	—	—	—	—	—	semel.	—	—	—	—	—	ter.	semel	quater.	—	semel.
18.	Martialis	96ies	7ies.	semel.	—	—	12ies.	5ies.	—	ter.	—	—	—	ter.	bis.	semel.	—	7ies	semel.	bis.	—	25ies.	—	semel.	—	bis.
19.	Persius	11ies.	semel.	—	—	—	semel.	quater	bis.	semel.	—	—	—	—	semel.	semel.	—	—	quater.	—	semel.	quater.	semel.	—	—	quater.
20.	Juvenalis	18ies.	semel.	—	—	—	semel.	bis.	—	—	—	—	—	—	—	—	semel.	—	—	—	—	7ies.	—	—	—	—
21.	Petronius	22ies.	—	semel.	semel?	bis.	6ies.	bis.	—	—	semel.	semel.	—	bis.	ter.	—	—	bis.	—	—	—	33ies.	bis?	19ies.	ter.	5ies.

Vita.

Fridericus Guilelmus Rohde natus sum a. d. XV Kal. Octobr. anni 1888 in oppido Borussiae occidentalis, cui nomen est Kroianke, patre Ernesto, matre Olga e gente Mertke, quibus adhuc viventibus gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Cum quartum agerem annum, parentes mei in vicum Borussiae orientalis, qui dicitur Kahlau, transmigraverunt, ubi in schola publica primordiis litterarum et a patre lingua latina imbutus sum. Puer undecim annorum gymnasium Gedanense adii, unde vere anni 1907 cum maturitatis testimonio dimissus Berolini in civium universitatis Fridericae Guilelmae numerum receptus sum.

Ibi per duos annos studiis philologicis et germanicis me dedi, proseminarii philologici sodalis per ter sex menses fui.

Scholas frequentavi virorum doctissimorum Berolinensium:

Diels, Geiger, Harnack, Helm, M. Herrmann, Mewaldt, R. M. Meyer, Norden, A. Riehl, Roethe, Rothstein, E. Schmidt, M. C. P. Schmidt, Simmel, Weinstein, Weisbach, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff, Woelfflin.

Vere anni 1909 Albertinam Regimontanam petivi, ubi per quater sex menses eisdem studiis operam navavi et primum proseminarii, deinde per bis sex menses seminarii philologici, quod *Deubnerus, Jeepius, Rossbachius* regebant, sodalis fui. Praeterea me be-

nigne admiserunt viri doctissimi O. *Rossbach* ad exercitationes archaeologicas, *A. Goedeckemeyer* ad philosophicas. Denique societati Plautinae ab *Jeepio* moderatae per unum annum et societati graecae a *Wuenschio* et *Deubnero* gubernatae per tria semestria interfui.

Docuerunt me viri doctissimi Regimontani:

Ach, Baumgart, Deubner, Dorner, Goedeckemeyer, Haendcke, Jeep †, Kowalewski, Ludwich, Rossbach, Wuensch.

Quibus viris omnibus gratias ago maximas, imprimis vero *O. Rossbach*, qui, auctor huius dissertationis conscribendae, in opusculo elaborando summa cum benignitate me adiuvit.